DE NONNULLIS DOCTRINAE GNOSTICAE UESTIGIIS QUAE IN QUARTO EUANGELIO INESSE FERUNTUR

DISSERTATIO,

QUAM SCRIPSIT ET AUCTORITATE REUERENDISSIMI THEOLOGORUM CATHOLICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VRATISLAVIENSI

AD VENIAM

PRIUATIM DOCENDI RITE IMPETRANDAM

DIE I. M. DEC. A. MDCCCLXXXIII HORA XI

IN AULA MINORE

DEFENDET

CAROLUS MUELLER,

SS. THEOL. DOCTOR, IN GYMNASIO AD AEDEM S. MATTHIAE SUPER. ORD. MAGISTER.

ADUERSARII ERUNT

ALOYSIUS FRIEDRICH, ALBERTUS KUSCHEL

SEM. THEOL. CATHOL. SODALES.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER.
MDCCCLXXXIII.
EIUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT ARGENTORATI ET MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

PROOEMIUM.

Rationem interpretationis Noui Testamenti si accuratius spectaueris, quaestionem quam Ioanneam uocant maximi momenti esse facile intelleges. qua de quaestione haud sane facile expedienda disputare me optimis auspiciis esse aggressum puto. nam teste Schanzio Tubingensi [1] illustrissimo uiro ex quo tempore illustrissimorum uirorum Friburgensium Leonhardi Hug et Adalberti Maier libri in publicum prodierunt, theologi catholici, cum auctores ab Ecclesia catholica alieni permulta uolumina disquisitionibus ad euangelium quartum pertinentibus implerent, hanc quaestionem prorsus neglectam iacere patiebantur. attamen quis ignorat, quanti ponderis sit studium acre, quod prohibeat, quominus aduersarii superiores discedant? quo factum est, ut ego in hoc tanto XL iam annos opera catholicorum carente campo litterarum sacrarum, si quid efficere possem, laborandum esse mihi persuaderem. atque laboris mei primitias quidem collectas deposui in commentatione de euangelio S. Ioannis exegetica critica, quae inscribitur: „Göttliches Wissen und göttliche Macht des Iohanneischen Christus. Ein Beitrag zur Lösung der Iohanneischen Frage.“ quam, ne nullo duce in certamen descenderem, approbandam reuerendissimo theologorum ordini Uniuersitatis Friburgensis tradidi, qui eam commentationem una sententia dignam statuit, quae in lucem proferretur. cum uero libellum meum Friburgi a. 1882 foras emissum ab iis, qui eius censu-

[1] Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1883. I. p. 145 sq.

ram agebant, fauore quodam excipi uiderem [1], non multo post alteram commentationem de eodem euangelio scripsi, qua praefatus sum libello scholastico, quem a. 1883 rector gymnasii Vratislauiensis ad aedem S. Matthiae florentis in lucem edidit. iam tertium studiorum meorum fructum offero dissertationem hanc:

De nonnullis doctrinae Gnosticae uestigiis, quae in quarto euangelio inesse feruntur. quam, ut ueniam priuatim docendi impetrarem, approbandam Reuerendissimo Ordini Theologorum Catholicorum, qui est in alma Uniuersitate Vratislauiensi, tradidi.

Scribebam Vratislauiae a. d. VIII. Id. Iul. a. h. s. 83.

Carolus Mueller.

---

[1] Schlesisches Pastoralblatt. 1882. Nr. 10. p. 118 sq. (Prof. Dr. König — Breslau); Theologisches Litteraturblatt. 1882. Nr. 40. p. 317 († signum auctoris); Theologische Quartalschrift. Tübingen. 1883. I. p. 144—147 (Schanz); Katholische Volkszeitung. 1883. Nr 42. Baltimore, 27. Ianuar 1883. p. 332. (Dr. Iörger-Iefferson, Wis.); Deutsche Litteraturzeitung. 1883. Nr. 5. p. 145 sq. (H. Wendt — Göttingen); Litterarischer Handweiser. Nr. 329. p. 70 sq. (Hundhausen — Mainz); Studien und Mitteilungen aus dem Benediktiner- und dem Cistercienser-Orden. II. H. 1883. p. 439 sq. (P. A. Metten); Theolog. Litteraturzeitung. 1883. Nr. 10 (Dr. Weiss — Berlin); Der Beweis des Glaubens. Iuni 1883. p. 124 (W. B.).

§ 1.

Adolfus Hilgenfeld quid de quarti euangelii fonte Gnostico coiecerit.

Christologiae ecclesiasticae ut Apostolicam auctoritatem tollerent, complures recentiores theologi [1] multis uariisque disquisitionibus quarti euangelii auctore Ioanne reiecto nouos fontes inuestigare pro uiribus conati sunt. de quibus adhuc uiuis, ingenii acumine litterisque plurimum pollentibus unus est Adolfus Hilgenfeld, cuius si merae coniecturae certa essent argumenta, inter quartum euangelium et cum multorum Gnosticorum tum Ualentini doctrinas necessitudinem quandam intercessisse comprobasset. ex quo istius auctoris liber de euangelio et epistulis Ioannis in lucem prodiit, cum adhuc nemo dedita opera praeter interpretes, qui aliud spectantes quasi in transcursu huius quoque theologi inuenta tetigerunt paucisque verbis absoluisse sibi uisi sunt, quaestiones haud sane facile expediendas de doctrinae Gnosticae uestigiis, quae in euangelio quarto inesse feruntur, susceperit, hisce quaestionibus hac scribendi occasione data operam nauare placuit. quae commentatio ut quam firmissimis niteretur fundamentis, prolegomena praemisi, quibus breuiter enarraui, quid Ualentinus aliis Gnosticis adnuentibus philosophatus esset.

---

[1] Baur, Kritische Untersuchungen über die kanonischen Evangelien. 1847. p. 88 sq. 176. — Das Christentum und die christliche Kirche der drei ersten Iahrhunderte. 1853. p. 165 sq. 212 sq. 297 sq. — NTestamentliche Theologie. 1864. p. 353—368. — Adolf Hilgenfeld, Das Evangelium und die Briefe Iohannis nach ihrem Lehrbegriff dargestellt. 1849. — Die Iohanneische Theologie und ihre neueste Bearbeitung (A. Hilgenfelds Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie. 1863. p. 96—116. 214—228). Idem, Hr. D. Riggenbach und das Ioh. Evang. (Hilgenfelds Zeitschrift für w. Theol. 1867. p. 196. adnot. 2). — Der Gnosticismus und das Neue Testament (Hilgenfelds Zeitschrift für w. Theol. 1870. p. 270 sq.). — Idem recenset librum: Georg Heinrici, Die Valentinianische Gnosis und die heilige Schrift. 1871 (Hilgenfelds Zeitschrift für w. Theol. 1872. p. 149—154). — A. Hilgenfeld, Historisch-kritische Einleitung in das Neue Testament. 1875. p. 722—729.

Ualentini doctrina [1] haec est: binarium quendam esse, qui nullo nomine exprimi possit; cuius altera pars Ἄρρητος, Προαρχή, Βυθός uocetur, altera Σιγή. postea ex hoc binario alterum binarium ortum esse, cuius partem alteram Νοῦν alteram Ἀλήθειαν appellat. ex quo quaternario Λόγον et Ζωήν, Ἄνθρωπον et Ἐκκλησίαν editos esse. atque hunc esse primum octonarium. et quidem ex Uerbo et Uita decem uirtutes profluxisse: ex Homine autem et Ecclesia duodecim, e quibus unam (Σοφίαν), cum a ceterarum coetu sese remouisset, reliquum negotium effecisse. quos triginta Aeonas τὸ πλήρωμα diuinum effecisse. — cum autem praeter Νοῦν nemo Aeon infinitam amplitudinem τοῦ Βυθοῦ percepisset, τὸ πλήρωμα illius communis substantiae percipiendae studio reliquorum Aeonum perturbatum esse, quo factum esse, ut Aeon Σοφία longe prosiliens passionem sine complexu coniugis sui Theleti contraheret et informem essentiam, τὸ ἔκτρωμα, pareret. quam posteaquam conspexisset primo ob inchoatum fetum moestitia affectam fuisse, deinde extimuisse, ne informis indigestaque moles permaneret; ac postea expauisse et indagasse, quonam modo absconderet id quod erat natum. in iis autem passionibus diu multumque uersatam ad Patrem Bythum regredi esse conatam: sed aliquanto post defecisse Patrique supplicem fuisse. una autem cum ea rogasse et reliquos Aeonas, maxime Nun. ita factum esse, ut primum initium caperet substantia materiae ex ignorantia et taedio et timore et stupore. at uero Patrem Horum (ὁ ὅρος) eundem, quem Crucem uocant, produxisse, cuius opera Sophiam purgatam ac suffultam coniugioque esse restitutam. submota enim ab ea et sublata Enthymesi una cum ea passione, in quam inciderat, ipsam quidem in Pleroma sublatam fuisse: ceterum

---

[1] Ne ex inani haurirem, adii fontes: Pistis Sophia. opus Gnosticum Ualentino adiudicatum. ed. Petermann. uertit Schwartze. Berolini 1851. S. Irenaei contra haereses lib. V. Massuet. Venetiis 1734. p. 5—32. 52. 53. 195. 198. 234. — appendix continet haec fragmenta: Ualentini epistulas, homilias, de mali origine dissertationem; deinde librum cuiusdam Ualentiniani; Ptolemaei ad Floram epistulam, nec non Heracleonis commentarios in Lucae et Ioannis euangelia — p. 352—376. praeterea Tertulliani aduersus Ualentinianos librum. — subsidio mihi fuerunt, quae scriptis mandauerant docti uiri: Neander, Genetische Entwickelung der vornehmsten Gnostischen Systeme. 1818. p. 92—228. Dorner, Entwickelungsgeschichte der Lehre von der Person Christi. 1845. I. p. 57. 293. 354. 367. 376. 457. 467. 569. 576. 596. 605. Hergenröther, Handbuch der Kirchengeschichte. 1880. I. p. 132 sq. III. p. 56. Möller, Geschichte der Kosmologie. 1860. p. 407—453. 474—506. Lipsius, Zur Quellenkritik des Epiphanios. 1865. p. 151—172. Heinrici, Die Valentinianische Gnosis u. d. h. Schrift. 1871.

ipsius Enthymesin, una cum passione, ab Horo secretam crucique affixam fuisse atque extra Pleroma sitam esse. esse quidem eam spiritualem essentiam ac naturalem quendam Aeonis impetum, uerum formae ac figurae expertem; quod uidelicet nihil comprehenderit. eaque ratione fructum ipsius imbecillum et femineum esse tradunt. postea Monogenem de Patris consilio, ne quisquam Aeonum in eandem quam Sophia calamitatem incideret, muniendi Pleromatis causa Christum et Spiritum sanctum coniuges emisisse. atque hinc confirmata et ad summam quietem adducta uniuersitate Aeonas non sine magna laetitia Propatorem laudibus extulisse. ac beneficii huiusce nomine coetum omnem communi consilio, consentientibus etiam Christo et Spiritu sancto atque eorum quoque Patre calculum suum adiciente, quod in se quisque pulcherrimum ac praestantissimum habebat, in medium contulisse atque haec apte coniungentes ad honorem Bythi perfectum fructum produxisse, h. e. Iesum, Saluatorem, Christum, Omnia.

Sed redeamus ad Sophiam. superiorem Christum ipsius calamitate commotum ui sua formam quidem ei indidisse: sed essentiae dumtaxat, non item scientiae. quo negotio perfunctum contracta uirtute sua ad supera se recepisse eamque deseruisse. a Pleromate autem submotam praestantiorum desiderio inflammatam esse, cum Christi Spiritusque sancti odore infecta esset. quare ad inuestigandum illud lumen (i. e. Christum), quod eam deseruerat, sese contulisse. uerum obstitisse Horum, quominus id consequeretur. quam ob causam omni perturbationis generi succubuisse. inde materiae essentiam, ex qua hic mundus conflatus est, ortam esse. etenim Paracletum, i. e. Saluatorem a Christo emissum scientiae formam ei indidisse. eiusque perturbationes, quibus liberasset, confudisse et condensasse atque ex incorporea affectione in corpoream materiam immutasse, ut in concretiones et corpora uenirent efficerenturque duae essentiae, altera mala, quae ex passionibus exstitisset, altera passionibus obnoxia; quae ex conuersione orta esset. deinde Achamoth affectu suo liberatam prae laetitia partum spiritualem ad similitudinem effectum satellitum Saluatoris edidisse.

Tribus igitur his in ortum productis, una nimirum substantia materiali, altera animali, tertia spirituali, eam Parentem et Regem omnium et Psychicorum et Hylicorum ex animali substantia informasse. hunc Demiurgum, quem et Deum vocant, cum duas confusas substantias separasset, fecisse coelestia et terrena. quem in ea opinione uersatum fuisse, ut se haec omnia ex se ipso construxisse existimaret. quare afflatu quodam matris, quam igno-

rasset, sibi persuasisse, se solum esse omnia. Diabolum quoque, quem Cosmocratorem uocant, Demiurgi esse opus dicunt. condito autem mundo Demiurgum hominem effecisse hylicum quidem ad imaginem suam, psychicum autem ad similitudinem. ineffabili uero uirtute ac prouidentia factum esse, ut spiritualis homo Demiurgo ignorante una cum ipsius insufflatione a Sophia inspergeretur. illum enim ut matrem suam ita ipsius quoque semen ignorasse, atque hominem eum, quem fingunt, huiusmodi esse uolunt, ut animam a Demiurgo habeat, corpus a terra, carnem a materia, spiritualem hominem a matre Achamoth.

Sed haec hactenus. nunc quaeramus, quaenam necessitudo inter istam doctrinam Gnosticam et euangelium quartum auctore Adolfo Hilgenfeld intercesserit. is istud euangelium, salua quadam ingenii forma, rerum Gnosticarum progressui ita subiungi vult [1], ut praeuiae Ualentinianorum doctrinae uestigia recentia in eo inueniri possint. quam ad rem probandam quarti euangelii praefatione, quam prologum uocant, eiusque fine illustrato de natura Dei eiusque tribus personis, de rerum uniuersitate earumque procreatore, de religione ante Iesu Christi aetatem usitata, de incarnatione Uerbi, quod λόγον uocant, de mundi redemptore eiusque opere et ecclesia christiana quid quartus euangelista docuerit, in examen uocat. omnibus autem locis id spectat, ut argumenta colligat apta, quibus euangelium quartum non ante Ualentini aetatem, i. e. non ante annum p. Chr. natum 140 compositum fuisse comprobetur. itaque iam eo progredimur, ut eas opiniones Adolfi Hilgenfeld, quae maxime ad rem nostram pertinent, pro parte uirili refellamus.

§ 2.

Praefatio quarti euangelii num Ualentinianorum primos Aeones exhibeat.

Hilgenfeldio maxime interesse uidetur, quo consilio Ioannes teste Irenaeo euangelium suum conscripserit. Irenaeus autem: „Ioannes,“ inquit, „uolens per euangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitae, qui sunt uulsio eius, quae falso cognominatur scientia, ut confunderet eos et suaderet, quoniam unus Deus qui omnia fecit per uerbum suum; et non, quem-

[1] Das Evangelium cet. p. V.

admodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem patrem Domini. et alium quidem fabricatoris filium, alterum uero de superioribus, Christum, quem et impassibilem perseuerasse, descendentem in Iesum filium fabricatoris et iterum reuolasse in suum Pleroma: et initium quidem esse Monogenem, Logon autem uerum filium Unigeniti: et eam condicionem, quae est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a uirtute aliqua ualde deorsum subiecta et abscissa ab eorum communicatione, quae sunt inuisibilia et innominabilia. omnia igitur talia circumscribere uolens discipulus domini . . . sic inchoauit in ea, quae est secundum euangelium, doctrina: „„In principio erat uerbum et uerbum erat apud Deum et Deus erat uerbum"" cet. (Iren. c. haer. III. c. 11. n. 1). unde sane elucet, Ioannem auctore Irenaeo euangelium suum contra Gnosticos composuisse. idem alio loco (III. 11. 7) refert, Ualentinianos eo quod secundum Ioannem euangelio plenissime usos esse, ut coniugationes suas comprobarent. imo uero Uictorinus Petabionensis (comm. in Apocalyps. II. 1. Gallandi bibl. IV, f. 59) Ioannem apostolum in euangelio suo contra Ualentinum, Cerinthum, Ebionem disputantem facit. quo cum auctore Irenaeum consensisse illum quidem Adolfus Hilgenfeld opinatur; sed Irenaeum aetate Ualentini respecta Ioannem apostolum aequalem istius non fecisse. itaque factum esse, ut Irenaeus sic scriberet: „*prouidens* has blasphemas regulas, quae diuidunt dominum" (III. 16. 5). e quibus indiciis Hilgenfeld recte colligere sibi uidetur, fieri non potuisse, ut Ioannes apostolus euangelium quartum scriberet. id autem fieri non potuisse nego. nam Ualentini doctrina non prius inualuit, quam euangelium quartum compositum est. testis est Iustinus, quem, ut libri ipsius [1] docent, praecepta et instituta Ualentini ne modice quidem tetigerunt [2]. quamobrem eo tempore, quo Iustinus scribebat (139—150 p. Chr. n.), Ualentini rationem et disciplinam diffundi coeptas esse censendum est. eodem autem tempore euangelii quarti quae fuerit uis, quae fuerit auctoritas, testatur idem Iustinus, qui istud non nominato auctore citauerit [3].

---

[1] Ἀπολογία πρώτη ὑπὲρ Χριστιανῶν. Ἀπολογία ὑπὲρ Χριστιανῶν πρὸς τὴν Ῥωμαίων σύγκλητον. Διάλογος πρὸς Τρυφῶνα Ἰουδαῖον. cfr. Migne, ser. gr. T. 6.

[2] Uhlhorn, Die Homilieen und Recognitionen des Clemens Romanus. 1854. p. 289 sq. Harnack, Zur Quellenkritik der Geschichte des Gnosticismus. 1873. p. 77 sq.

[3] Iustin. Apol. I. c. 61 (cfr. Io. 3, 4. 5); Apol. II. c. 6 (cfr. Io. 1, 1—3; 17, 5); Dial. c. Tryph. c. 105 (cfr. Io. 1, 1—14). praeterea adi hos libros: Ad. Maier, Einleitung in die Schriften des N. T. 1852. p. 139. Keil, Com-

Ceterum ita uelim tibi persuadeas, Adolfum Hilgenfeld ordinem eorum qui doctrinam falsam professi sunt conturbasse. nam si sequaris Iustinum auctorem τοῦ συντάγματος, quod quamquam ipsum aetatem non tulit, pro fonte tamen eo usi sunt Hegesippus, Irenaeus, Tertullianus, illi, qui hanc falsam doctrinam profitebantur, hoc ordine alius alium subsecuti sunt: Simon, Menander, Marcion, Ualentinus, Basilides, Satornilus [1]. Marcionem igitur Ualentinus excepit, non hunc ille, ut Hilgenfeld cum aliis antiquitatis inuestigatoribus coicit [2]. Marcion autem ut quarti euangelii nullam notitiam haberet fieri non potuisse intellegitur e uerbis Tertulliani (de carne Christi 3), quibus Marcionem sic compellat: „si scripturas opinioni tuae resistentes non de industria alias reiecisses, alias corrupisses, confudisset te in hac specie euangelium Ioannis.“ [3]

Hilgenfeldius ut Marcionem Ualentino posteriorem fieri efficiat, quaerit, quid uterque de Saluatore tradiderit et praeceperit. cuius loci argumentum hoc est: Marcionem Ualentinianorum permultos Aeones similiter atque auctorem quarti euangelii uno Saluatore esse complexum. quem rerum progressum bene processisse; etenim Ualentinianos ipsos, quorum Saluator receptaculum Christi et uniuersae plenitudinis esset [4], doctrinae suae semen illius comprehensionis mandasse. ex quo colligi posse, quam Ualentiniani de Aeonibus finxissent opinionem, eam antegressam esse doctrinas Marcionis et quarti euangelistae. quod non recte iudicatum est, cum fontes, unde Marcion et Ualentinus hauserunt, nec non eorum ratio philosophandi inter se discrepent. quorum alter ab Empedocle, qui in naturalis philosophiae studio

---

mentar über das Evangelium des Iohannes. 1881. p. 19. 20. Hilgenfeld, Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie. 1881. p. 244. 246; ultimo loco auctori Abbot Adolfus Hilgenfeld concedit, Iustinum quartum euangelium cognitum habuisse. aliter sentit A. Thoma, Iustins litterarisches Verhältnis zu Paulus und zum Iohannes-Evangelium (Ad. Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theologie. 1875. p. 383—412. 490—565).

[1] Harnack, Zur Quellenkritik cet. p. 6—35.

[2] Hilgenfeld, Das Evangelium cet. p. 127. Zeitschrift f. w. Theol. 1875. p. 302. Cerdon und Marcion (Zeitschrift f. w. Theol. 1881. p. 1—37). Overbeck, Über zwei neue Ansichten von Zeugnissen des Papias für die Apostelgeschichte und das 4. Evangelium (Ad. Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1867. p. 64 sq.). Lipsius, Die Zeit des Marcion und des Heracleon (Ad. Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1867. p. 79).

[3] Mecum dissentit Ad. Hilgenfeld, Der Kanon und die Kritik des Neuen Testaments. 1863. p. 22. adnot. 2.

[4] Irenaeus, l. c. III. 16, 1.

floruit, alter a Pythagora et Platone — auctor est Hippolytus[1] — profectus est. itaque factum est, ut Marcion sua rerum principia ex Empedoclis doctrina sumeret, non Ualentini Aeones ad unum uel duo redigeret. huc accedit, quod Apelles, Marcionis discipulus, omni studio ad tenendum unum principium collato inter magistri duo sibi opposita principia τοῦ ἀγαθοῦ et τοῦ κακοῦ duo alia: τὸν δίκαιον et τὸν Μωσεῖ λαλήσαντα interiecit[2], unde elucet, Marcionis duo principia peculiari rerum Gnosticarum processui non finem imposuisse sed initium dedisse. quare Marcionitarum ratio procedendi in se ipsa conixa in quouis gradu processus a Ualentinianorum doctrina tam aliena fuit[3], ut Marcionis dualismus e Ualentini Aeonibus nasci non posset. re igitur uera neque Marcion neque quartus euangelista uberiorem Gnosticorum metaphysicam fabulam quasi ducem secutus est. at Ualentiniani nonne Saluatorem receptaculum Christi et uniuersae plenitudinis esse dixerunt? nonne ista Saluatoris appellatio habenda est pro fonte, unde, quae quartus euangelista de Jesu ut τῷ λόγῳ et τῷ μονογενεῖ τοῦ πατρὸς υἱῷ praecepit, emanauerit? sint uerisimilia sane! sed mihi argumenta supra allata respicienti uidentur Ualentiniani illa appellatione usi esse, ut sententias suas uocibus quarti euangelii accommodarent. eodem consilio commoti tum multos libros sacrae scripturae tum Joannis euangelium citabant. locos collegit Georgius Heinrici[4], cuius indicem adibit, cui ea res curae erit.

Sed iam uenio ad argumentum, quo Adolfus Hilgenfeld usus est, ut auctorem quarti euangelii, cum Ualentiniani istum librum non modo citassent uerum etiam interpretati essent, in condendo libro suo ex gnosi eorundem multum hausisse comprobaret. quam disputationis Hilgenfeldianae partem cum examino, non possum non animaduertere concentus speciem, quam Ualentiniani inter suam doctrinam et eam, quam quartus euangelista tradidit, intercessisse simularunt. uideamus singula. Ualentiniani quarti euangelii prooemium, ut Irenaeus narrat[5], hac ratione interpretati sunt: „Joannes domini discipulus rerum omnium ortum exponere cupiens, iuxta quem pater omnia produxit, principium quoddam

---

[1] Origenis Philosophumena. ed. E. Miller. 1851. VII. 29. 30. VI. 21—29. De Hippolyto auctore confer: Nirschl, Lehrbuch der Patrologie und Patristik. 1881. I. p. 254.

[2] Origenis Philosophumena. ed. E. Miller. 1851. VII. 38. Ad. Harnack, De Apellis gnosi Monarchica. 1874. p. 55 sq.

[3] Möller, l. c. p. 389 sq.

[4] L. c. Anhang. Übersicht der Citate aus dem Neuen Testament.

[5] Iren. l. c. I. 8. 5. Ad. Hilgenfeld, Das Evangelium cet. p. 22 sq.

ponit, id nempe quod primo a deo genitum est, quem et Nun et unigenitum filium ac deum appellauit, in quo pater omnia seminali ratione procreauit. ab eo autem sermonem productum esse et in eo omnem Aeonum essentiam, quam postea sermo ipse formauit. quoniam igitur de primo rerum ortu uerba facit, recte a principio, hoc est, a deo et sermone doctrinam suam instituit. ad hunc porro modum loquitur: „„in principio erat uerbum et uerbum erat apud deum et deus erat verbum. hoc erat in principio apud deum."" in quibus uerbis, cum primo haec tria distinxisset, deum, principium, uerbum, rursus ea copulat: ut et horum utriusque productionem ostendat, hoc est, filii et uerbi, ac simul et horum inter se et cum patre coniunctionem. in patre enim et ex patre est principium: in principio autem et ex principio uerbum. recte itaque dixit: „„in principio erat uerbum""; erat enim in filio. „„et uerbum erat apud deum"", principium etenim: „„et deus erat uerbum"", hoc enim consequitur: id quippe deus est, quod de deo genitum est. „„hoc erat in principio apud deum:"" productionis ordinem demonstrat. „„omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil:"" uerbum etenim Aeonibus omnibus, qui post se exstiterunt, formae atque ortus auctor fuit. „„quod factum est in ipso uita erat:"" hic uero coniugium etiam indicauit: omnia enim per ipsum facta esse dixit; uitam autem in ipso. haec quippe, quae in eo facta est, coniunctior ei est, quam ea quae per ipsum facta sunt: cum eo namque exsistit, ac per eum frugescit. quandoquidem subdit: „„et uita erat lux hominum:"" hominis nimirum uocabulo ecclesiam quoque aequiuoce significauit: ut per unam uocem coniugii commercium declararet. ex uerbo enim et uita homo et ecclesia orti sunt. porro hominum lucem uitam appellauit, quod ipsi ab ea illuminati sint, hoc est, formati ac patefacti. quod etiam Paulus his uerbis ait: „„omne autem id quod manifestatur lux est"" (Eph. 5, 13). quoniam itaque uita et hominem et ecclesiam genuit ac patefecit, ipsorum proinde lux dicta est. perspicue igitur per haec uerba Joannes tum alia, tum secundam quaternitatem, hoc est sermonem et uitam, hominem et ecclesiam declarauit. quin prima quoque ab eo quaternitas indicata est. nam de saluatore uerba faciens dicensque omnia quae extra Pleroma sunt per eum formata fuisse, fructum eum esse ait totius Pleromatis. etenim lucem eum appellauit in tenebris lucentem nec ab iis comprehensam: quandoquidem ipsis inscientibus omnia quae ex passione facta sunt informauit; ad haec et filium et ueritatem et uitam eum dicit et uerbum carnem effectum: „„cuius gloriam, inquit, perspeximus, et erat

gloria ipsius quasi gloria unigeniti, quae a patre ipsi concessa fuerat, plena gratia et ueritate." " plane igitur et accurate primam quoque quaternitatem ostendit, cum Patrem et Charin, Monogenem item et Ueritatem dixit. Atque ad hunc modum Joannes de principe atque omnium Aeonum parente Ogdoade locutus est. Patrem enim et Charin dixit, Monogenem et Ueritatem, Sermonem et Uitam, Hominem et Ecclesiam.

et Ptolemaeus quidem ita."

Quid igitur? ipse Adolfus Hilgenfeld[1] istam interpretationem uanam arbitrariamque esse et scriptoris uerbis uim adhibere concedit. nihilominus eam aptam esse existimat, qua sua opinio adiuuetur. sed uana haec opinio. an quisquam putat, Ualentinianos quartum euangelium citando uel interpretando demonstrasse, euangelistam quartum a Ualentinianis aliquid didicisse? uidesne eosdem alios quoque s. scripturae locos, e. gr. epistulas ad Romanos, Corinthios, Galatas[2], quae consensu omnium S. Pauli esse censentur, citasse et in commodum suum conuertisse? num in his quoque Noui Testamenti partibus uestigia Ualentinianorum apparent? quid igitur est tam facile cognitu atque dictu, quam tum multorum librorum s. scripturae tum Joannis euangelii auctoritas summa[3], ad quam illi se contulerunt, ut fidem commentis suis adiungerent? sin autem tempore quo Ualentinus floruit, euangelium quartum eo auctoritatis processerat, ut illius studiosi istud in rem suam conuertere quam neglegere uel etiam spernere mallent, non habeo, cur non credam euangelium quartum iam aetate Ualentini peruulgatum fuisse[4]. quod certo fieri non potuisset, nisi priusquam Ualentinus in publicum prodiit illud in promptu fuisset.

Iam uero in hanc rem inquirere necesse est, quo consilio interpretes Ualentiniani quarto euangelio praecipue operam dederint, utrum assensionis simulandae an dissensionis dissimulandae causa in isto libro explicando omne studium collocauerint. quam ad rem diiudicandam quaenam ratio inter quartum euangelium et Ualentinianorum doctrinam intercesserit quaeri necesse est. ut

---

1 Das Evangelium cet. p. 26.

2 Rom. 1, 25; 2, 16; 7, 5. 12. 23; 8, 11. 20; 11, 16. 24. 36; 12, 1; 14, 4. I Corinth. 1, 18; 2, 6. 14. 15; 5, 6. 7; 11, 10; 15, 8. 29. 47. 48. 53. II Corinth. 4, 4; 5, 1. Gal. 3, 19; 4, 21; 6, 14. cfr. Heinrici, l. c. p. 192.

3 Heinrici, l. c. p. 189 sq. cfr. Hilgenfeld, Zeitschr. f. w. Theol. 1872. p. 151 sq., ubi quod efficitur ex Georgii Heinrici disputatione impugnatur.

4 Cum Georgio Heinrici facio, qui Ualentinum hisce Ioanneis locis iam usum esse narrat: Io. 1, 12. 13; 8, 51; 11, 26. 52.

uero rem paucis absoluam, nisus sum in uiris, quorum ea est auctoritas, ut nemo eos sequi non possit. Iustino auctore res Gnosticae eo ordine gestae sunt, ut Simonis Menandrique studia cogitationis gentilis quaestionibus christianis quidem sed deprauatis miscerentur; unde doctrina haeretica exorta est[1]. quae sententia adhuc a fundamentis suis nondum diruta est. nam quis est, quin intellegat fere omnes, qui doctrinae Gnosticae addicti fuerunt, in primis Ualentinianos cum Graeciae philosophis mundum esse deum censentibus fecisse. quod de ideis Plato praecipere auspicatus est, id ut Asianorum theosophorum instinctu cum praeceptis christianis confunderent, Ualentiniani moliti sunt[2]. itaque fit, ut eorum deus causa mundum efficiens rerum procreandarum naturae se implicare ita cogatur, ut sit eadem dei et mundi historia[3]. quare quod Ualentiniani de deo eiusque natura praeceperunt, doctrinam quae pantheismus uocatur sapit[4]. quantum igitur a pantheismo distat theismus sacrae scripturae, tantum Ualentiniani et auctor quarti euangelii inter se differunt. quod discrimen ne pateret, quarto euangelio Ualentiniani ad simulationem abusi sunt. ex quo efficitur, quam frustra studuerint, quarti euangelii singulis uocabulis notionem ab eodem libro alienam subicere. quod uero noluerunt, id Ualentiniani interpretes, in his Heracleon[5] effecerunt. nimirum inuitissimi, ut recte collegit Heinrici[6], optimi testes sunt, quarti euangelii neque res neque uerba afflatu quodam doctrinae Ualentinianae conflari potuisse.

Deinde e re esse uidetur, quo sua quemque natura tulerit, quaerere. et sane discrimine magno quod inter Ualentinum et Joannem intercessit obseruato alteri alterius doctrinam salua indole concipere non licuit, quin partus editus alienis gloriaretur bonis. etenim uterque sui iuris fuit et suis principiis usus est. quantum discriminis uero inter principium Gnosticum et christianum intercesserit, cognoscere tibi licebit, si intellexeris, esse idem discrimen atque inter scientiam rebus gentilibus refertam et fidem

[1] Ad. Harnack, Zur Quellenkritik cet. p. 7. 20. 26. 28.

[2] Staudenmaier, Die Philosophie des Christentums. 1840. I. p. 357. 360 sq. 480 sq. Darstellung und Kritik des Hegelschen Systems. 1844. p. 63. Stöckl, Lehrbuch der Geschichte der Philosophie. 1875. p. 223. 261.

[3] Möller, l. c. p. 445 sq.

[4] Dorner, l. c. I. p. 358 sq. Hagemann, Metaphysik. 1875. p. 154 sq.

[5] Fragmenta commentarii Heracleonis in S. Ioannis euangelium ex Origenis Tomis in dictum euangelium. cfr. Irenaei contra haereses lib. V. ed. Massuet. 1734. p. 362—376.

[6] Heinrici, l. c. p. 129.

diuinae reuelationi tributam. quid mirum igitur, si Gnosticae doctrinae studiosi et auctores Noui Testamenti in partes prorsus contrarias abierunt? etiamsi gnosis haeretica singula dicta de sacra scriptura adsumpsit, certe tamen moles Gnostica non fundamentis christianis exstructa nititur. quem unum deum ut principium omnium rerum sacra scriptura ponit, eum gnosis haeretica eleuare studet; quae facta in libris de uita Jesu editis posteris tradita sunt, ea extenuanda curauit; quae notiones sacrae scripturae propriae sunt, eae ut cogitationibus philosophorum gentilium admiscerentur Gnostici conisi sunt; quod argumenti christiani in sacra scriptura est, coactis explicationibus ab iisdem ita enucleatum est, ut nihil nisi cortex excauatus relinqueretur; Noui Testamenti deum alium esse atque deum Ueteris Testamenti inter omnes fere Gnosticos constat; postremo Gnostici sibi uisi sunt homines sola ueri perspicientia beatos reddere [1]. quid? quod siue *verba* siue *res* doctrinae Gnosticae examinaueris, homini utriusque sexus similia esse apparebunt, cum doctrina christiana et religiones ab ista alienae permixtae sint. en monstrum doctrinae! [2]

Haec sunt principia, quibus Ualentinus et qui eum sequebantur usi sunt; hoc est solum pingue, cuius humorem radices Ualentinianae doctrinae suxerunt. haec est arbor ingens, quae uberes Ualentinianorum errorum baccas tulit. quare Irenaeus, qui parentes Ualentinianorum fuerint, enumerat [3] atque Ualentinum primum ueteres doctrinas ad characterem suum et institutum accommodasse narrat [4]. quisnam igitur sanae mentis euangelium quartum, quae pars totius scripturae sacrae necessaria est, ex iisdem radicibus ac Ualentinianam haeresin natum esse dixerit? quamobrem sensibus, ut ita dicam, percipi potest, sectae Ualentinianae arborem germen quarti euangelii generosum speciosumque promittere plane non potuisse, quippe cum dominus doceat, arborem malam bonos fructus non facere [5].

Atque permultum interesse existimo, utrum quarti euangelii notiones dictaque, quae Gnosticae doctrinae speciem prae se ferunt, ex necessario naturalique processu fidei christianae explicationem subtilem desiderantis satis repeti possint, an tamquam

[1] Dorner, l. c. I. p. 354. adnot. Nr. 194.

[2] Herzog u. Plitt, Real-Encyclopädie für protestantische Theologie und Kirche. 1879. vol. V. cfr., quod Iacobi de gnosi conscripsit.

[3] L. c. lib. I. c. 31. n. 3. 4.

[4] L. c. lib. I. c. 11. n. 1.

[5] Matth. 7, 18; 12, 33. Luk. 6, 43.

aliena membra ab exterioribus partibus in Christi doctrinam irrepserint[1]. sed res est facilis diiudicatu. etenim omnes Noui Testamenti libri eandem christologiam ita exhibent, ut, si quid de Christi persona tradatur spectaueris, priores rosarum calyci, posteriores flori similes sint. unius eiusdemque spiritus eiusque sancti impulsu idem de Christo senserunt[2].

Itaque reliquum esse mihi uidetur singulorum Aeonum nomina quae in prooemio reperiuntur percensere. mirum, quo Adolfus Hilgenfeld inopia argumentorum confugerit. uocabula enim μονογενής, λόγος, ζωή, χάρις, ἀλήθεια, πλήρωμα, inquit[3], eiusmodi sunt, ut auctor quarti euangelii fieri non potuerit, quin coniugia Ualentinianorum metaphysica cognita haberet. interim mihi uidetur neglexisse, quibus argumentis Irenaeus Ualentinianos ex Ioannis euangelio octonarium suum male probasse docuerit. „primo enim, inquit ille scriptor auctoritate praecellens[4], si propositum esset Ioanni illam, quae sursum est, octonationem ostendere, ordinem custodisset utique emissionis et primam quaternationem, cum sit uenerabilior (quemadmodum dicunt) in primis utique posuisset nominibus et sic adiunxisset secundam, ut per ordinem nominum ordo ostenderetur octonationis: et non utique post tantum interuallum, quasi oblitus deinde commemoratus, in nouissimo primae memoratus fuisset quaternationis. deinde si coniugia quoque indicare uoluisset, profecto ecclesiae nomen haudquaquam ab eo praeteritum fuisset: uerum aut in reliquis etiam coniugationibus masculos appellare satis habuisset (quippe cum aeque illae una subaudiri possent), ut hac ratione unitatem prorsus seruaret: aut si reliquorum coniuges recensebat, hominis quoque coniugem declarasset, nec nobis ipsius nomen ex coniectura et diuinatione capiendum reliquisset. itaque probatum est, hanc expositionem esse falsam."

Iam intelleges, nullius momenti esse sonum uocabulorum *solum*, tametsi leuiter singula tangam. neque enim id facerem, nisi necesse esset, et id erit signi me inuitum facere, quod non persequar longius, quam consilium huius disputationis postulabit. iam ipsa uerba Hilgenfeldiana adscribam, ne quid neglexisse uidear: „Der Prolog *trifft* so auffallend mit den Aeonennamen der drei ersten Syzygien Valentins zusammen, dass er *notwendig*

---

[1] Heinrici, l. c. p. 189.

[2] Oosterzee, van. Das Iohannes-Evangelium. 1867. p. 49.

[3] Das Evangel. cet. p. 26.

[4] Iren. contr. haer. I, 9, 1.

das Valentinianische System vor Augen gehabt haben *muss.*" quare *primorum trium* coniugiorum memoriam repetamus; ecce nomina: βυθός et σιγή (χάρις); νοῦς (μονογενής, πατὴρ καὶ ἀρχὴ τῶν πάντων) et ἀλήθεια; λόγος et ζωή. sed mirum est, quod Ioannes ex his nominibus tantummodo χάριν, μονογενῆ, ἀλήθειαν, λόγον et ζωήν tollit. cum Ioanne auctore ὁ λόγος sit ὁ μονογενής nec non ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός appelletur, quarti euangelii auctor, si Hilgenfeld recte coiecisset, tam confuse scripsisset, ut nodus expediri non posset. etenim ὁ μονογενής Ualentinianus *pater* τοῦ λόγου est. ὁ μονογενής uero Ioanneus idem atque ὁ λόγος; unde apparet, τὸν μονογενῆ Ioanneum, τὸν ὄντα εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός *suum* patrem esse. deinde si cum Adolfo Hilgenfeld sumpseris, ζωήν (Io. 1, 4) esse coniugem τοῦ λόγου, quomodo explicabis illud: πλήρης (ὁ λόγος) χάριτος καὶ ἀληθείας (Io. 1, 14), cum percipi non possit, filium uel nepotem plenum esse matris uel auiae? magis etiam mirari licet, euangelistam duas Aeones *feminas* (ἡ χάρις καὶ ἀλήθεια Io. 1, 14. 17) coniunxisse. illud autem: καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος· satis superque illustratur hisce uerbis: ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτόν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. unde elucet, notionem χάριτος nihil aliud nisi τὸ ἐκ θεοῦ γεννηθῆναι significare. quod comprobatur compositione non uno loco usitata uocabulorum: χάριτος καὶ ἀληθείας (Io. 1, 14. 17). sed iam quaeritur, quid sit ueritas. teste Ioanne sermo patris est ueritas (Io. 17, 17), quia deus, qui misit Iesum uerax est (Io. 3, 33; 8, 26). diabolus uero in ueritate non stat (Io. 8, 44). — Iesus in hoc natus est, ut testimonium perhibeat ueritati (Io. 18, 37); quem uerba dei (i. e. ueritatem) loqui Ioannes baptista enuntiat (Io. 3, 34); Iesus ueritatem loquitur (Io. 5, 33; 8, 40); quapropter illi credendum est (Io. 8, 46. 47), praesertim cum ueritas liberet, peccatum uero in seruitutem redigat (Io. 8, 32. 34). non habeo igitur, cur ἀλήθειαν aliud in prooemio significare iudicem atque locis, quae supra commemoraui.

Atque ne notio τοῦ λόγου quidem inuenta est a Ualentinianis. nam quis ignorat logologiae historiam?[1] at ὁ λόγος Ioanneus nonne ὁ μονογενής appellatur? sane quidem! sed quid mirum, si reputaueris, iam Philonem τὸν λόγον πρωτόγονον[2] et multo ante

---

[1] Friedlieb, Prolegomena zur biblischen Hermeneutik. 1868. p. 177—228. Klasen, Die alttestamentliche Weisheit cet. 1878. p. 86.

[2] De conf. ling. § 14 (M. 414). — de somn. § 37 (M. 653). cfr. Buschmann, Die Persönlichkeit des Philonischen λόγος. 1873. p. 41 sq. de ebriet.

auctorem libri canonici, qui σοφία Σαλωμών inscribitur, τὸ πνεῦμα ἐν τῇ σοφίᾳ, a quo fonte ὁ λόγος merito repetitur, μονογενές appellasse?[1] — quod deinde ad τὴν ζωήν attinet, quae Ualentinianam coniugem τοῦ λόγου repraesentare fertur, Adolfo Hilgenfeld distinctione uerborum, quae concinnitati uerborum Ioanneorum (Io. 1, 3. 4) uim adhibeat, opus est; qui sic legit: καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. ὃ γέγονεν ἐν αὐτῷ, ζωὴ ἦν[2]. sed ratione Lückeanorum[3] argumentorum habita minime operae pretium est, huiusce opinionis commenta refellere. reliquum est igitur τὸ πλήρωμα (Io. 1, 16). profecto nihil unquam uidi argutius, nec possum satis mirari, uirum alioqui eruditum in illa uoce recentia Ualentinianorum uestigia inuenire potuisse, cum sit euidentissimum, Ioannem imitari in usurpanda uoce πληρώματος consuetudinem Hebraeorum, qui uoce מְלֹא utuntur, ut indicent copiam ubertatemque[4]. quare sensus est: ex ipsius copia beneficiorum nos omnes gratiam pro gratia accepimus. certissime igitur persuasum habeo, Adolfum Hilgenfeld non uisurum fuisse Gnosticae doctrinae uestigia, nisi uidere uoluisset[5]. nam nullo euangelii quarti loco reperies haec Aeonum nomina: σιγή, νοῦς, ἐκκλησία, σοφία et ὅρος. etiam frustra quaeres uerba maxime Ualentinianae doctrinae propria: πάθος, ἐνθύμησις, προβολή, κένωμα, ἔκτρωμα.

---

§ 8 (M. 361—62), ubi legitur: „τὸν μόνον καὶ ἀγαπητὸν αἰσθητὸν υἱὸν ἀπεκύησεν. . .“ LXX interpretes pro uocabulo hebraico יָחִיד (I Mos. 22, 2. Zach. 12, 10) τὸν ἀγαπητόν et (Ps. 22, 21; 35, 17) τὴν μονογενῆ reddiderunt; cfr. Tittmanni tractatum de uestigiis Gnosticorum in Nouo Testamento frustra quaesitis. 1773. p. 176, ubi haec reperies: „igitur cum D. Ioannes in usurpando hoc uocabulo (scil. μονογενής) graecorum interpretum (scil. LXX, Aquilae, Symmachi et S. Pauli — Hebr. 11, 17) consuetudinem sequeretur, essetque scriptoribus sacris familiare, filium dei hoc modo insignire; cur quaeso dicamus, Gnosticos hoc loco damnari?“

[1] Σοφ. Σαλ. 7, 22. cfr. Gutberlet, Das Buch der Weisheit. 1874. p. 183 sq. A. Thoma, Das Alte Testament im Iohannes-Evangelium (Ad. Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1879. p. 27).

[2] Das Evangel. cet. p. 32 sq.

[3] Lücke, Commentar über das Evangelium des Iohannes. 1840. 3. Aufl. I. p. 304 sq.

[4] Ps. 50, 12 et I Cor. 10, 26.

[5] Tittmannus, l. c. p. 111 sq. 177 sq.

§ 3.

Quae ratio quarto euangelio cum Uetere Testamento intercesserit, quaeritur.

Hilgenfeld [1] iudicat, quartum euangelium non modo lege Mosaica Christifideles soluere, sed etiam Ueteris Testamenti scripturam sacram nec non religionem in illa positam a deo reuelatas esse negare. audiamus argumenta huiusce opinionis. „Christus Ioanneus, inquit, Iudaeis patris sui cognitionem semel atque iterum derogat." at Iesus apud Synopticos, ut recte sentit Beyschlag [2], ipse quoque omnibus hominibus, quos non ipse cognitione illa imbuerit, derogat. „cum littera Ueteris Testamenti minime consentaneum est, si Iesus sanationem sabbato perfectam sic defendit: ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται (Io. 5, 17), uel si Iudaeis de patre suo haec insinuat: οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος ἑωράκατε" (Io. 5, 37). — cum littera Ueteris Testamenti num magis consentaneum est, si Iesus apud Synopticos (Matth. 12, 12) dicit, sane licere sabbato bene agere? deinde multum interest, utrum illa uerba Iesu (Io. 5, 37 coll. u. 39) ad patres reuelationibus diuinis dignos, an ad aequales uatum ueterum spiritu carentes pertineant. Schenkelius alia argumenta Adolfi Hilgenfeld quartae [3] editioni operis sui, quod „Characterbild Iesu" inscripsit, inseruit. qui auctor euangelium quartum Uetus Testamentum principaliter reprobare existimat ob id ipsum, quod teste Iesu (Io. 5, 39) scribae e scriptura sacra uitam aeternam sibi esse hauriendam tantummodo opinantur. huic sententiae repugnans Beyschlag [4]: an uero, inquit, Schenkelius putat, scribas e libris sacris uitam aeternam re uera deprompsisse? num in studio sacrae scripturae inuestigandae beatitudinem perfectam collocauerunt? — Schenkelius haec argumenta addit: uerbis Iesu: οὐ Μωϋσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ (Io. 6, 32). — quae uertit: „Mose hat euch nicht Brot vom Himmel gegeben," — Mosi munus mediatoris quartum euangelium derogat. sed particula „non" ante subiectum Μωϋσῆς posita est; uertendum igitur:

[1] A. Hilgenfeld, Die Iohanneische Theologie und ihre neueste Bearbeitung (Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1863. p. 214. 216. 217. 220. 221). Einleitung, p. 722.

[2] Zur Iohanneischen Frage. 1876. p. 135. cfr. Matth. 11, 27.

[3] Daniel Schenkel, Das Characterbild Iesu. 4. Aufl. 1873. p. 24.

[4] L. c. p. 136.

„Nicht Mose . . ., sondern mein Vater.“ isto loco ergo agitur non de mediatore, sed de causa principali. deinde Iesus non de *lege* Mosis, sed tantummodo de cibo „Manna“ loquitur. cui pani coelesti salua legis Mosaicae natura diuina saluoque Moysis sacro munere naturam uere coelestem, i. e. spiritualem et diuinam Iesus derogare potuit. si Schenkelius quoque uerba Iesu: πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί (Io. 10, 8), ad Moysem prophetasque pertinere denuo adfirmat, non respicit ad Io. 5, 45, ubi Moyses Iudaeos Iesu aequales accusans inducitur, aut ad Io. 12, 38, ubi Iesus ad Iesaiae auctoritatem se confert, cuius rei mentionem auctor quarti euangelii certe oppressisset, si Mosaicae religionis naturam diuinam negare uoluisset. reliquum est, ut de loco: Io. 4, 22 disseramus. Ἡμεῖς, inquit Iesus cum muliere Samaritana colloquens, προσκυνοῦμεν ὃ οἴδαμεν. quae uerba A. Hilgenfeld [1] praeuio interprete Hengstenbergio sic explicat: „Iesus wolle sagen: „„Ich allein bete an, was ich weiss, und ihr beide, Iuden und Samariter, was ihr nicht wisset.““ quod si uere esset disputatum, reliqua Iesu uerba: ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν· apto sensu carerent. Iesus igitur una cum Iudaeis et Samaritani in quaestionibus ad religionem pertinentibus in contraria discedunt. quare tantum abest, ut auctor quarti euangelii Uetus Testamentum reprobari uelit, ut, quod olim uates sancti cecinerint, tunc in Iesu Christo reuera uenisse comprobet [2]. unde patet, quo iure Scholten [3] hanc sententiam referre possit: „Ein organischer Zusammenhang zwischen dem Christentum und dem früher Bestehenden ist (im Lehrbegriff des vierten Evangeliums) nicht vorhanden,“ praesertim cum iste interpres secum ipse pugnet, ideo quod Iudaeorum animos ad reuelationem diuinae ueritatis per τὸν λόγον praeparatos fuisse paulo post tradit. nec mirum est, cum Abraham afflatu quodam spiritus sancti Messiam diuinauerit (Io. 8, 56), Moyses de Christo scripserit [4], sacrae litterae

---

[1] A. Hilgenfeld, Hr. D. Riggenbach und das Io.-Ev. (in A. Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1867. p. 196. adn. 2). Einleitung, p. 722. cfr. contra Scholten, l. c. p. 141. praesertim quod Nr. 2 adnotatum est; Beyschlag, l. c. p. 137.

[2] Cfr. Io. 1, 46; 2, 17. 22; 3, 14; 6, 45; 12, 14. 38. 40; 13, 18; 19, 24. 28. 36. 37; 20, 9.

[3] L. c. p. 141.

[4] Io. 1, 46; 5, 46. 47. — cum libris Mosis confer hosce locos in euangelio Sti. Ioannis: Deuter. 18, 15 et Io. 6, 14; 7, 40 (ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον). Gen. 28, 12 sq. et Io. 1, 52. Num. 21, 8. 9 et Io. 3, 14. Exod. 16, 4 et Io. 6, 32. Exod. 12, 46 et Io. 19, 34. 36.

de eodem testimonium perhibuerint [1]; quare modo quis uoluntatem Iesu facere uoluerit, doctrinam eius ex deo esse cognoscere poterit (Io. 7, 17). an Iesus legem Mosaicam abrogat? immo ad litteram eiusdem appellat. zelus domus dei — sacri uisibilis! — eum comedit (Io. 2, 17); et quid discriminis est inter Io. 7, 22. 23 et Matth. 12, 5? utroque loco legem sabbati uiolantium iniuria lege ipsa defenditur.

At, inquiunt aduersarii [2], Io. 8, 17; 10, 34: „ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν“ legitur; non Christi Ioannei igitur, sed tantummodo Iudaeorum istam legem manere interesse dicitur. sed haec interpretatio istorum locorum sententiae concinnae minime consentanea est. Iesus impendio magis dum aduersariis responsum dat haec declarat: eadem lege ego *teste* utor, cuius auctoritatem *uos* agnoscitis et in qua tantum ponderis ponitis, ne uos mihi merito obicere uideamini, quod ego de me ipso testimonium perhibuerim (Io. 8, 13) ac deo turpissime maledixerim (Io. 10, 33). quare dubitari non potest, quin Iesus de legis natura hic idem quod in libris Synopticorum sentiat, praesertim cum Io. 10, 35 (Matth. 5, 17. 18. 19. Luc. 16, 17) „οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή“ addat [3]. scripturae igitur auctoritas normatiua et iudicialis eiusdemque

---

[1] Io. 1, 52 (Gen. 28, 12); Io. 3, 14 (Num. 21, 8). fons Iacob (Io. 4, 6) significat fontem aquae in uitam aeternam salientis (Io. 4, 14). Manna (Exod. 16, 15 et multis aliis locis Uet. Test.) significat panem uitae (Io. 6, 31—33); agnus paschalis (Exod. 12, 3 et reliqu. l.), cuius os non confringendum est (Exod. 12, 46. Num. 9, 12), est reale uaticinium, quod euenit in Iesu (Io. 19, 36). alia uaticinia realia, quae euenerunt in Iesu, uide: Ps. 40, 10 (Io. 13, 18); Ps. 68, 10 (Io. 2, 17); Ps. 21, 19 (Io. 19, 24); Ps. 15, 9—11 (Io. 20, 9). — cfr. Beyschlag, l. c. p. 137 sq. Gess, Christi Zeugnis von seiner Person und seinem Werk. 1870. p. 288 sq.

[2] A. Hilgenfeld, Einleitung cet. p. 722. De Wette, Kurze Erklärung des Evangeliums und der Briefe Iohannis. 1839. p. 113. 137. Baumgarten-Crusius, Theologische Auslegung der Iohanneischen Schriften. 1843. I. p. 333. II. p. 27. Messner, Die Lehre der Apostel. 1856. p. 345. Keim, Der geschichtliche Christus. 2. Aufl. 1865. p. 25. 57. 70. 89.

[3] Eandem interpretationem exhibent Adalb. Maier, Commentar über das Evangelium des Iohannes. 1845. II. p. 234. Burger, Das Evangelium nach Iohannes. 1868. p. 239. 299 sq. Godet, Commentar zu dem Evangelium Iohannis, bearbeitet von Wunderlich. 1869. p. 390. 438. H. Aug. Wilh. Meyer, Kritisch-exegetisches Handbuch über das Evangelium des Iohannes. 5. Aufl. 1869. p. 337. 411. 412. Gess, Christi Zeugnis. p. 289. Luthardt, Das Iohanneische Evangelium. I. 1875. p. 129. II. 1876. p. 57 sq. 168. Beyschlag, l. c. p. 138. Keil, Commentar über das Evangelium des Iohannes. 1881. p. 321 sq. p. 375. ab auctore quarti euangelii Ueteris Testamenti libros pro scriptura diuina haberi ne Scholten (l. c. p. 143) quidem negat.

unitas et inspiratio Iesu animo constant; si uero maxime uerum est, euangelii scriptorem quidem post Hierosolyma euersa rerum diuinarum publicarumque communionem inter se suamque nationem perhorruisse, tamen religionem christianam ex fonte Ueteris Testamenti emanasse ipsi persuasum est [1].

Qua argumentatione neglecta Hilgenfeld [2] uel cum Ualentini aetate Hadriani florentis disciplina Gnostica quartum euangelium eam cognationem habere acerrime adfirmat, ut eius auctor illi haeretico propinquus ad philosophiam Gnosticam purgandam librum suum composuisse dicatur. sed non possumus adduci, ut hanc opinionem esse ueram arbitremur. iam antiquitus scriptores ecclesiastici longe aliam Ioannis euangelistae Ualentinique rationem fuisse tradiderunt; nam euangelium quartum illis testibus priore aetate quam Ualentini ratio disciplinaque exortum ipsa doctrina ab ecclesia reprobata quasi uitis arborem circumplicauit. itaque non euangelium Ioannis a scriptis Ualentini, sed iste ab illo multa petiit. a temporum quae commemoraui ratione nullo modo istud abhorret, quod ex utriusque doctrinae collatione consequitur. est modus in iis, quae Ioannes de notione τοῦ λόγου tradit; contra Ualentinus nullo adhibito modo e natura diuina octo diuinas personas emanasse fingit. atqui quis ignorat [3], quae simpliciter et naturae accommodate cogitata et enuntiata sint, ea posteriorum commentis deprauari solere? insuper cum notionem τοῦ λόγου et Paulus et scriptor Apocalypseos [4] satis firme conceptam animo comprehensamque haberet, non est, cur euangelii quarti auctor a Ualentini disciplina illam notionem sumpsisse putandus sit, praesertim cum in his Noui Testamenti libris: Act.

---

[1] B. Weiss, Lehrbuch der Biblischen Theologie des Neuen Testaments 1868. p. 660 sq.

[2] Das Evangelium und die Briefe Iohannis nach ihrem Lehrbegriff dargestellt. 1849. p. 19—68. Prot. K.-Ztg. 1858. Nr. 33. p. 777 (contra D. Uhlhorn, Die älteste Kirchengeschichte in der Darstellung der Tübinger Schule. Iahrb. f. deutsche Theol. 1858. p. 340 sq.). Der Kanon und die Kritik des Neuen Testaments. 1863. p. 169. A. Hilgenfeld in seiner Zeitschrift f. w. Theol. 1872. p. 149—154 (ubi recenset hoc opus: G. Heinrici, Die Valentinianische Gnosis und die heilige Schrift. 1871). — Einleitung, p. 725—728. quem secutus est Volkmar, Die Religion Iesu. 1857. p. 433 sq. Der Ursprung uns. Ev. 1866. p. 153.

[3] Keim, Geschichte Iesu von Nazara. I. 1867. p. 152 sq. Beyschlag, l. c. p. 139.

[4] Cfr. Hebr. 4, 12. 13. Apocal. 19, 13. — contra Ferd. Chr. Baur, Das Christentum und die christliche Kirche der drei ersten Iahrhunderte. 1853. p. 290—296; et: Vorlesungen über Neutestamentliche Theol. 1864. p. 216—219.

apost. 2, 21; 10, 36. Apocal. 1, 17; 2, 8; 22, 13; 4, 10; 5, 13; 3, 14. Hebr. 1, 6; 7, 3; 13, 8. Col. 1, 15. II Cor. 4, 4. Phil. 2, 6. Rom. 9, 5. Tit. 2, 13; 1, 3 si non eadem uerba, sententiam tamen eandem de Christo recognoscas [1]. praeterea haec sunt obseruanda: cum gnosis haeretica aetate Hadriani ut zizania ab inimico in medio tritici superseminata apparuisset atque floresceret, in utramque partem Christiani disputabant, neque dum curae fuit, ut controuersia dirimeretur. quare dubitauerim, an idem [2] auctor, qui primam Ioannis epistulam et euangelium quartum fere eodem tempore scripsisse fertur, gnosin haereticam in altero libro insectatus eandemque in altero imitatus sit. — adice, quod Heracleon Ualentini studiosissimus eiusque teste Origene γνώριμος commentationem gnosi conspicuam de Ioannis euangelio exhibuit. iam igitur quaerendum est, utrum Heracleon multo post Ualentinum scripserit, an utriusque uita in eandem aetatem inciderit. γνώριμος autem saepe idem ualet quod notus, familiaris [3]. unde merito coiciendum est, euangelium quartum exstitisse multis annis ante quam Heracleon aequalis [4] Ualentini, qui ab anno 125 usque ad 155 floruit, commentaretur [5]; nam scriptor haereticus commentationem de eodem euangelio componendi consilium non cepisset, nisi illud euangelium auctoritate iam tum ualuisset [6]. elucet, Ualentini gnosin ad euangelium Ioannis nulla ex parte pertinere.

---

[1] Schulze, Vom Menschensohn und vom Logos. 1867. p. 303.

[2] Keim, Geschichte Iesu. I. 1867. p. 149.

[3] Hofstede de Groot, Basilides als erster Zeuge für Alter und Autorität Neutestamentlicher Schriften, insbesondere des Io.-Ev. 1868. p. 26. Godet, l. c. p. 34.

[4] Respondeo aduersus ea, quae Volkmar (Der Ursprung unserer vier Evangelien. 1866. p. 22) praeuio Lipsio (Zur Quellenkritik des Epiphanius. 1865. p. 68 et 168) attulit, ut Heracleonem Origenis aetati coniunctum fuisse comprobaret.

[5] Cfr. hosce interpretes aliud sentientes: G. Heinrici, Die Valentinianische Gnosis und die heilige Schrift. 1871. p. 63—148. A. Hilgenfeld in: Zeitschrift f. w. Theol. 1872. p. 153. ibidem. 1875. p. 459. idem, Der Brief des Valentinianers Ptolemaeus an die Flora (A. Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1881. p. 214—230). Lipsius, Die Zeit des Marcion und des Heracleon (A. Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1867. p. 75—83).

[6] Luthardt, l. c. I. p. 235. 236.

§ 4.

Utrum dualismus, quem metaphysicum et cosmologicum uocant, in quarto euangelio pateat necne.

Non magis, quam quae commemoratae sunt opiniones, comprobatum est, quod de euangelii nostri dualismo Gnostico A. Hilgenfeld[1] disseruit, qui in isto euangelio deum et diabolum, deum et mundum, dei et diaboli liberos naturaliter sibi ita opponi adfirmat, ut Ioannis theologia dualismo metaphysico, cosmologico, anthropologico Gnosticum in modum infecta esse uideatur. praeter prooemium insignis locus, unde dualismus metaphysicus hauriatur, Io. 8, 44 in promptu est: Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν· ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν. ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ· ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ· ὅτι ψεύστης ἐστί, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. quae uerba Hilgenfeld sic uertit: „Ihr seid aus dem Vater des Teufels, und die Gelüste eures Vaters wollt ihr thun. Jener (der Teufel) war ein Menschenmörder von Anfang . ., wenn er die Lüge redet, so redet er von seinem Eigenen, denn ein Lügner ist auch sein Vater.“[2] a rationibus grammaticis sane non abhorret illud: „Ihr seid aus dem Vater des Teufels,“ ut pater diaboli idem ac deus Iudaeorum, isque ὁ δημιουργός Ualentini sit. sed si ad contextum huius loci respexeris, complures difficultates inesse minime te fugiet. nam dubitari non potest, quin futurum fuerit, ut Iesus, si Iudaeos non diaboli, sed τοῦ δημιουργοῦ liberos facere uoluisset, non illius, sed istius naturam moresque in iis quae sequuntur describeret. atqui pro Judaeorum patre a Iesu habetur diabolus, qui homicida erat ab initio cuiusque desideria illi facturi sunt; ergo si Hilgenfeld illud: ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ recte interpretatus esset, Iudaei non filii, sed nepotes τοῦ δημιουργοῦ fuissent, quod a Iesu mente, siqui-

---

[1] A. Hilgenfeld, Die Iohanneische Theologie und ihre neueste Bearbeitung (Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theologie. 1863. p. 96—116). Einleitung, p. 726 sq. cuius uestigia persecuti sunt Hausrath, Neutestamentliche Zeitgeschichte. III. 1874. p. 568. — cfr. A. Hilgenfeld (Zeitschrift f. w. Theol. 1875. p. 297). Holtzmann, Über die Disposition des vierten Evangeliums (Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theol. 1881. p. 283). Scholten, l. c. p. 83. 88—93.

[2] Einleitung, p. 725. Hilgenfeld, Das Evangelium und die Briefe Io. 1849. p. 160. 171 sq. Die Evangelien nach ihrer Entstehung und geschichtlichen Bedeutung. 1854. p. 288. 331.

dem aduersarios suos non dei sed diaboli filios esse demonstrauit, euidenter abhorruisset [1]. sed ut recta sit illa interpretatio, ὁ δημιουργός pater diaboli est, idem quem Iudaei in templo, domo patris Iesu (Io. 2, 16) ut deum coluerunt, et deinde omnes, qui adorant eum, in spiritu et ueritate adorare debebunt (Io. 4, 21—23).

Iam pergo ad uerba: ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς· quae Hilgenfeld ita interpretatur, ut diabolus natura sua et ab initio uitae suae malus fuisse dicatur [2]; illud ἀπ᾽ ἀρχῆς autem non ad uitam diaboli, sed ad hominum genus historiamque pertinet, quia ille spiritus immundus non prius homines necare potuit quam exstiterunt. itaque diabolum principaliter malum esse ex isto loco concludi non potest; quare dualismi metaphysici uestigia in euangelio nostro minime inueniuntur [3].

Deinceps, ut erat propositum, argumenta eorum [4], qui dualismum cosmologicum in libro nostro inesse censent, refellamus. deum et mundum ut *aeterna* principia sibi contraria esse dicunt; sed argumenta eorum parum firma ad probandum. nam quod Io. 1, 3 (πάντα δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν) enuntiatum est, omnia quae praeter deum reperiuntur per uerbum dei facta esse approbat, ex quo mundum non aeternum esse intellegi potest. quod uero Scholten (l. c. p. 83. sq.) affert, ut aliquid discriminis inter uocabula: ἐγένετο et ἐκτίσθη statuat, quorum alterum: „es ward gebildet“, alterum: „es ward geschaffen“ uertit, non admodum credibile est, quia „γίγνεσθαι“ nullo loco Noui Testamenti „formari“ significat; complures loci uero inueniuntur, quibus γίγνεσθαι aliquid esse coepisse significat [5] idem-

---

[1] Beyschlag, l. c. p. VIII. p. 140 sq. cfr. Scholten, l. c. p. 90 sq. adnot. 2. qui, si auctore Adolfo Hilgenfeld pater diaboli pater Iudaeorum esset, patrem Iudaeorum re uera diaboli auum fuisse propter uerba: ὅτι ψεύστης ἐστί, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ concludit. Keim, l. c. I. p. 153. qui inter τὸν δημιουργόν Ualentini et patrem diaboli (Io. 8, 44) tantum discriminis intercedere existimat, ut ne similitudo quidem inueniri possit. cfr. Thomas, Le gnosticisme et le nouveau Testament (Revue catholique. 1873. p. 558 sq.).

[2] Cfr. Frommann, Io. Lehrbegr. 1839. p. 333. Hilgenfeld, Das Ev. und die Briefe Io. p. 163. 185.

[3] Baumgarten-Crusius, Theologische Auslegung der Iohanneischen Schriften. 1843. I. p. 357. Meyer, Evangelium des Iohannes. V. A. 1869. p. 357. Godet, l. c. p. 404. Beyschlag, l. c. p. 144. Köstlin, Der Lehrbegr. d. Ev. u. d. Briefe Io. 1843. p. 128.

[4] Baur, Krit. Untersuch. p. 88 sq. Scholten, Das Evangel. nach Io. p. 83 sq. 92.

[5] Io. 1, 6. 14; 8, 58. Godet, l. c. p. 92: „Der Ausdruck γίγνεσθαι bezeichnet den Übergang aus dem Nichts in das Sein und bildet einen bestimmten Gegensatz gegen das ἦν, v. 1. 2. Ganz ähnlich ist der Gegensatz 8, 58:

que quod κτίζεσθαι ualet. nec formationem, ut Gnostici docuerunt, sed creationem indigestae molis auctor noster (1, 3) τὸν λόγον effecisse tradit. sententia Philonis quidem διὰ τοῦ λόγου mundus formatus est [1]. sed ab auctoris nostri notitia, apud quem ὁ λόγος idem qui Iesus est, per quem epistula ad Colossenses teste [2] omnia creata sunt, ὁ λόγος tanquam mediator creationis minime abhorrere potuit: neque igitur dubitari potest, quin Ioannis sententia iste mundus aeternus non sit. iam sequitur uersus: „Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν" (Io. 1, 5). unde Scholten (l. c. p. 92) discrimen a Gnosticis statutum inter lucem et tenebras tanquam aeterna principia sibi coiciendum esse putat. huic opinioni autem aduersatur, quod non tertio uersu, quo creatio mundi narratur, sed demum uersu quinto, postquam de hominibus relatum est, tenebrarum mentio fit, unde elucet, illam σκοτίαν non ut physicum uel metaphysicum principium, sed ut actricem auctricemque in rebus ab hominibus gestis esse inductam. quod Ferd. Chr. Baur intellexit, quippe qui (l. c. p. 88) grata memoria quidem Gnosticum dualismum prosecutus sit, sed illa principia non nisi moralia esse eaque in hominum historia apparuisse uoluerit. attamen si ita res se habet, dualismum cosmologicum in euangelio nostro inuestigare desistamus licet. nam quamuis Baur lucem tenebrasque summa absolutaque principia ad mores hominum pertinentia esse declarauerit; subtimemus tamen, ne ista principia, si fieri potest ut tenebrae merito fidei sublatae lux fiant (l. c. p. 91), non merito absoluta dicantur. — res eo deducitur, ut scriptura sacra diabolum uel peccatum originale tanquam causam principalem mali tradiderit; at istarum tenebrarum potentia non aeterna est, sed tempore certo prouenit. quid est igitur, cur Ioannis doctrinam de mali ui ac potestate non ex litteris diuinis, sed ex Philonea-Gnostica sapientia repetere uelis?

———

„„ehe Abraham *ward, bin* ich."" Es ist der Gegensatz zweier Ordnungen, der Zeit und der Ewigkeit." Keil, l. c. p. 75: „γίγνεσθαι, werden, drückt die Entstehung, Erschaffung aus." cfr. copiam dicendi: Marc. 1, 17. ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων (parall. Matth. 4, 19: ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρ.). cfr. Winer, Grammatik des Neutestamentlichen Sprachidioms. 7. Aufl. 1867. p. 563. 565.

[1] De opif. p. 2. 4 sq. ὁ κόσμος ἐγένετο, i. e. mundum e materia ὁ λόγος fabricatus est; cfr. κόσμος ὁ γενόμενος, de cher. p. 111. p. 34. de Philonis theologia cfr. Siegfried, Philo von Alexandria. 1875. p. 199—235.

[2] Col. 1, 16: τὰ πάντα δι' αὐτοῦ . . ἔκτισται· cfr. Io. 1, 3: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. u. 10: καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο.

§ 5.

Adolfus Hilgenfeld quod de dualismo anthropologico disputauit in examen uocatur.

Restat, ut de dualismo anthropologico, quem dicunt, disseramus. Adolfus Hilgenfeld [1] sententiam euangelistae de duplici hominum genere principali mente atque cogitatione se assequi posse sperat; quo iure haec demonstrabunt. demonstrationis fundamenta Hilgenfeld in locis: Io. 1, 13; 3, 3 sq.; 3, 27; 6, 37. 44. 49. 65; 17, 2 ponit, ubi homines nulla liberi arbitrii ratione habita ad bonum praedestinati eiusdem auctoris sententia apparent. at illud: ἐκ θεοῦ (Io. 1, 13), ἄνωθεν (Io. 3, 3), ἐκ τοῦ πνεύματος (Io. 3, 6) γεννηθῆναι non principium metaphysicum, sed initium uitae hominum renatorum significat, quod non nisi humanae uoluntatis gratiaeque diuinae cooperatione fieri potest. τὸ γεννηθῆναι ἐκ τοῦ θεοῦ, ut Niese [2] interpretatur, est fons Ioanneae psychologiae, unde omnes actus renatorum: ὁρᾶν, ἀκούειν, θεωρεῖν, θεᾶσθαι, γιγνώσκειν, εἰδέναι, πιστεύειν, ἀγαπᾶν, ἀγαθοποιεῖν, καρπὸν φέρειν emanant et quo redundant. τὸ γεννηθῆναι ἐκ θεοῦ est igitur complexio istorum actuum moralium, quae ita cogitanda est, ut omnes singuli actus in notione τοῦ ἐκ θεοῦ γεννηθῆναι lateant et notio ipsa in singulis istis actibus pateat. cum autem singuli illi actus natura morali praediti sint, illa notio quoque tanquam comprehensio illorum actuum naturam moralem repudiare nequit. quare a sana interpretatione multum abest, si Hilgenfeldio homo in regeneratione sua nihil agere uidetur. sane quodcumque dederit Iesu Pater, ad illum ueniet (Io. 6, 37; cfr. 17, 2); neque quisquam poterit uenire ad Iesum, nisi Pater eum traxerit (Io. 6, 44). sed illud „dare“, „trahere“ non idem quod cogere; illa uerba potius idem ualent, quod premere atque dirigere; hominum ad Iesum uenientium uoluntas uerbi euangeliique efficacitate premitur ac dirigitur ad Christum [3]. ubinam igitur coactio quaedam, cum uoluntas humana nullo modo cogi possit? de Patre qui *misit Iesum* (u. 44) mentio fit. euangelium Iesu a Patre missi efficacitatem suam ita comprobat, ut premat dirigatque uoluntatem humanam ad agnoscendam ueritatem Christi. omnis ueritas ui quadam praedita est; cur non

---

[1] Das Evangel. u. die Briefe Iohannis. p. 145.

[2] Die Iohanneische Psychologie (Einladungsprogramm der Königl. Landesschule Pforta 1865). p. 5. 6. 20. 23.

[3] Luthardt, Das Iohanneische Evangelium. 1875. I. p. 500. 503 sq.

ueritas euangelica? quatenus effectus credendi spectatur, uerbo dandi, quatenus res psychologica respicitur, uerbo trahendi auctor utitur.

Non mediocri audacia A. Hilgenfeld[1] utitur, quod locis: Io. 8, 43. 47; 10, 26; 18, 37 nisus, nonnullos homines actuali diuina efficacia non post natiuitatem temporalem, sed principaliter in natura humana condenda religiosae cognitionis sensu imbutos esse, se esse comprobaturum pollicetur. iam excerpamus illos locos: Διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γιγνώσκετε; ὅτι οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν (Io. 8, 43). ὁ ὢν ἐκ τοῦ θεοῦ τὰ ῥήματα τοῦ θεοῦ ἀκούει· διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστέ (Io. 8, 47). Πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας ἀκούει μου τῆς φωνῆς (Io. 18, 37). obiter haec uerba percurrenti ille interpres recte existimasse uideatur; sed accuratius perscrutans, quam commenticia illius explicatio sit, breui perspexerit. ut primus locus quid ualeat uideamus, contextus sermonis examinandus est. eiusdem capitis uersu 37 dicit Iesus, se scire, Iudaeos quidem filios Abraham esse, sed niti ipsum interficere, quod sermo suus non capiat illos. Iudaei igitur ab Abraham carnaliter orti sunt eorumque origo historica non negatur; sed uita moresque illorum ab origine discrepant; quia Iesum ut interficiant quaerunt. unde Iesus Iudaeos carnaliter quidem ab Abraham oriundos esse, moraliter autem ab alio patre originem traxisse concludit. atque commercium illud, quod Iudaei cum diabolo patre suo habeant, non physicum sed morale esse uersus sequens demonstrat: ἐγὼ ἃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρὶ λαλῶ· καὶ ὑμεῖς οὖν ἃ ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς ποιεῖτε[2]. de *suo* consortio cum deo patre Iesus dicit: ἃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρί, ad *Iudaeorum* commercium cum patre diabolo describendum utitur uerbis hisce: ἃ ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρός. quo dicendi modo magnum discrimen exhibetur, quod inter consortium Iesu cum deo patre commerciumque Iudaeorum cum diabolo patre intercessit. Iesus est παρὰ τῷ πατρί, quod communionem essentialem naturalemque significat; quamobrem „ἑώρακεν“. Iudaei autem non sunt παρὰ τῷ πατρί, sed tantummodo παρὰ τοῦ πατρὸς ἤκουσαν. item animum adtendas ad discrimen temporum: ἑώρακα et ἠκούσατε. uerbum ἀκούειν denique nostro loco idem quod uoluntati praeceptoque obedire ualet. totus igitur sermo de ratione, quae inter Iudaeos et diabolum patrem eorum intercedit, ad uoluntatem pertinet[3]. quare ista ratio e

[1] Das Evangelium und die Briefe Iohannis. p. 146.

[2] Textum per C. Tischendorf (Nouum Testamentum Graece. ed. VIII. 1869) recensitum exhibeo. cfr. Luthardt, l. c. II. p. 79 sq.

[3] Weizsäcker, Die Iohanneische Logoslehre (Iahrbücher für deutsche Theologie. 1862. p. 670).

libero arbitrio Iudaeorum profecta est. sequentibus uersibus 39. 40 de operibus Iesus disserit, quae aduersariorum originem tanquam moralem statuant. nam ut diabolum tanquam patrem Iudaeorum demonstret, de concentu apertissimo, qui inter utriusque opera intercesserat, colloquitur. id quidem, quod Iesus operum argumentis diabolum esse patrem Iudaeorum docet, moralis originis indicium est. tunc aduersarii uersu 41 pergunt: ἕνα πατέρα ἔχομεν, τὸν θεόν, cum Iesum non de stirpe naturali, sed morum similitudine disputare intellexerint. Iudaei igitur aliquid in sententiarum ordine percipiendo proficiunt; sed cum Abraham patris carnalis sui opera non aequassent, multo minus dei absolutionem perfectionemque imitari poterant. quare ne illud (τὸν θεόν) quidem Iesus concedit, ut deum in patris loco habeant, sed respondet (u. 42): εἰ ὁ θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν, ἠγαπᾶτε ἂν ἐμέ· ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω· οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλε. qua de causa deus Iudaeorum pater esse non possit, hic quaeritur. sententiarum ordo est hic: Jesus ex deo processit et uenit, neque enim a se ipso uenit, sed ille eum misit. propria et principali significatione est igitur Iesus dei filius [1]. si igitur Iudaei dei filii essent, i. e. si dei opera imitarentur nec non diuinam uoluntatem more Iesu exsequerentur, Iesum ipsum, cum duo eundem deum ut patrem sincera fide diligentes sibi non essent offecturi, non diligere non possent. sed Iudaei — haec autem quasi cum ipso animo suo locutum puta Iesum — me ipsum non modo non diligunt, sed etiam infestant; ergo dei filii iidem esse non possunt. ex quo intellegi potest, Iesum cum aduersariis suis collocutum, quis morali significatione pater eorum esset, quaesiuisse eodemque sensu esse patrem neque Abraham neque deum existimasse. quam sententiam subsequuntur uerba haec: Διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γιγνώσκετε; ὅτι οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν. Iudaei *non possunt* audire Iesu sermonem. quae inertia non naturalis necessariaque sed moralis liberaque est, quia audire idem quod obedire moraliterque agere ualet ac totus contextus non ad naturam sed ad mores eorum pertinet. sane quidem uerbum οὐ δύνασθε premitur; at non adeo, ut nihil in sermone Iesu sit, quod Iudaei audire et cognoscere possint. illud audire nolle ita conualuit in obstinationem, ut audire cognoscereque non potuerint. liberum arbitrium Iudaeorum maximopere destinatum illud quidem, sed libertatis natura sua neutiquam priuatum uidemus. quorum

[1] Cfr. Io. 6, 62; 13, 3; 16, 27. 28; 17, 5. 8. — Luthardt, l. c. II. p. 84. Meyer, l. c. p. 355. Keil, l. c. p. 336.

persuasio diabolicae menti malitiaeque tam consentanea erat, ut illud nolle audire quasi altera natura (non posse) fieret. sed ab hac ratione opinio Adolfi Hilgenfeld, qui illud non posse non pro altera sed propria natura habet, mirum quantum distat. quo accedit, ut si Jesus in eadem fuisset sententia cum illo interprete, non respondisset: „quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum," sed perrexisset: „quare loquelam meam non auditis? quia non potestis cognoscere sermonem meum." nam si Iesus de Iudaeorum ingenii indole idem ac Hilgenfeld opinatus esset, causa rationis, quae inter ipsum et aduersarios eius intercesserat, non tam in uoluntate peruersa — quod non nisi moraliter effici potuit, — quam in mente naturaliter corrupta ipsi quaerenda fuisset. ita fit, ut Hilgenfeld non habeat, quo ad sententiam de dualismo anthropologico comprobandam utatur.

Illud „οὐ δύνασθε ἀκούειν" uersu sequenti (44): Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ, καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν argumentis ita confirmatur, ut Iudaei audire non posse dicantur, cum filii diaboli sint et desideria patris sui facere uelint. ex patre diabolo esse idem ualet, quod desideria patris istius facere uelle. atqui diaboli desideria sunt homicidium et mendacium, ut idem uersus enuntiat. quid mirum igitur, si Iudaei Iesu ueritatem dicenti (u. 45) non credunt? Iudaeorum diabolique consensus et concentus tantum abest, ut mirus sit, ut naturalis esse uideatur. hic igitur locus non modo non cum quibusdam Gnosticis de hominibus nonnullis a diabolo originem naturalem trahentibus intellegendus est, sed etiam homines quosdam diabolo tantummodo moraliter cohaerere declarat. similiter uerba: Διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἐστέ (Io. 8, 47), accipienda sunt; quo loco: quia ex deo non estis, idem negatiue enuntiatum est, quod uerba: uos ex patre diabolo estis, positiue explicant. cum autem Iudaei diabolo non nisi moraliter cohaereant, ratio quoque, quae inter alios homines et deum intercedit, moraliter non naturaliter facta est. quare filii diaboli mendacis uerba dei non audiunt, audiunt illa filii dei ueracis. deinde collatis locis hisce: Λέγει ὁ Ἰησοῦς· ἐγώ εἰμι . . ἡ ἀλήθεια (Io. 14, 6) et: πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας ἀκούει μου τῆς φωνῆς (Io. 18, 37) locutio Ioannea: ex aliquo esse, moralem quoque originem significare potest, cum „ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας" idem quod „ὁ ὢν ἐξ ἐμοῦ" ualeat. itaque quotquot Iesu uocem audiunt, eiusdem filii non tam naturaliter quam moraliter geniti sunt. res cum ita se habeat, nullo eorum qui supra citati sunt locorum de duplici hominum in bonam uel in malam partem principaliter destinatorum genere sermo est.

Iam ad alia argumenta Adolfi Hilgenfeld progrediamur. Io. 10, 26 haec sunt: „Ἀλλ' ὑμεῖς οὐ πιστεύετε· οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν." quod ille auctor pluribus uerbis exponit hisce: „falsam esse opinionem, si quis istam interpretationem proponat: illos propterea non ex ouibus Christi esse, quod non credant; sed rectam esse sententiam hanc: illos ea de causa non credere, quod ex ouibus Christi non sint" [1]. sed dualismum anthropologicum haec uerba Iesu minime sapiunt [2]. rationem huius loci esse eandem ac cap. 8, 35 sq. facile dignosci potest. ubi oratio dualismi speciem — quo iure quidem supra demonstratum est — potius quam hic prae se fert. praeterea uersus 27: „Καθὼς εἶπον ὑμῖν, τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει, κἀγὼ γιγνώσκω αὐτά." praecedentem uersum satis illustrat explanatque [3]. Iesus haec uult explicare: oues meae uocem meam audiunt; quia uos non oues meae estis, non creditis, i. e. uocem meam non auditis. oues soli pastori legitimo obediunt; atqui fides rationabile obsequium est. ergo Iudaei Iesum non credendo repudiantes non pro pastore legitimo suo habent, qua de causa a saluatore in numerum ouium ipsius non adscribuntur. difficultas igitur tantummodo eo constat, quod uersus 27 de genere dictus est, uersus 26 de specie. sed Iudaeorum interpellatio disputationis tenorem ita direxit, ut Iesus in illum cogitationum ordinem deduceretur. reuera res ita se habet, sicut supra proposuimus. a generali sententia ad specialem Iesus secum rem considerans procedit. uerba autem contra emissa sunt.

Iam locus, quem Hilgenfeld citat [4]: „Ὅτι δὲ ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ ἐστέ, ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου, διὰ τοῦτο μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος" (Io. 15, 19), adeo non demonstrat originalem principalemque diuersitatem hominum, ut nobis istam diuersitatem negantibus argumento esse possit. etenim discipuli Iesu de mundo electi sunt, i. e. e consortio mundi ad communionem Iesu traducti sunt. unde patet, mundum (τὸν κόσμον) tales quoque homines continere, qui, priusquam uocentur in Iesu communionem, de mundo sint. iam id, quod fieri potest, ut nonnulli homines e mundi consortio in Iesu communionem transmigrent, nihil principale originaleque inter homines interesse planum facit. neque uero locus ille neque hic: „Ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ εἰσί, καθὼς ἐγὼ ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ εἰμί" (Io. 17, 16) more et exemplo Hilgenfeldii („Und die Iünger sind

---

[1] A. Hilgenfeld, Das Evangelium und die Briefe Iohannis. 1849. p. 146. Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie. 1870. p. 270.

[2] Luthardt, Das Iohanneische Evangel. II. p. 160.

[3] Meyer, l. c. p. 407, qui similiter cogitasse uidetur.

[4] A. Hilgenfeld, l. c. p. 147.

deshalb auserwählt und der Gnade Gottes empfohlen, weil sie nicht aus dieser Welt sind“) intellegantur licet. „de mundo non esse“ non est causa, sed consecutio electionis. deinde animum adtendas ad tempora: οὐκ ἐστέ et ἐξελεξάμην (Io. 15, 19) nec non ad uerborum compositionem. si A. Hilgenfeld recte interpretatus esset, Iesu dicendum fuisset: ὅτι δὲ ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ ἦτε, ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς; Iesus autem dicit sicut supra positum est. neque igitur affert, qua de causa ipse discipulos de mundo *elegerit*, sed quam ob rem mundus eos *oderit*. quia discipuli de mundo non sunt (non legitur: non fuerunt), i. e. quia de mundo *nunc* non sunt, sed per Iesum de mundo electi sunt, propterea odit illos mundus.

Iam grauioribus Hilgenfeldii argumentis refutatis ad leuiora progrediamur. cui ex eo, quod homo quidam neque propter sua neque parentum peccata, sed ut manifestentur opera dei in illo, a natiuitate caecus est (Io. 9, 3), nec non ex eo, quod Lazari infirmitas non est ad mortem sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam (Io. 11, 4), consequi uidetur, ut hominibus singulis eorumque fatis eae res, quarum causa deus illos fecerit, conficiantur. his locis uero non de animorum humanorum indole, sed de corporum humanorum uitio fragilitateque agitur. etiamsi porro teste euangelio quarto cum reliqua s. scriptura humanorum animorum corporumque proprietates a deo ad maiorem ipsius gloriam et praeuisae et praeformatae sunt, tamen actus hominum uoluntarii a numine non ita disponuntur, ut necessitate quadam effecti libertatis indole careant.

Sane Hilgenfeld sibi ipse obicit, homines diaboli filios tantummodo illecebris infernis fieri posse. sed id non magni momenti esse, quod prooemium Ioanneum doctrinam de hominum statu originali nullo peccato nullisque diabolicis illecebris immutato non complectatur. sed illud Adolfi Hilgenfeld: „Offenbar ist hier (Io. 1, 5) von der Finsternis als einem selbständigen, dem Lichtreich entgegenwirkenden Princip die Rede, und die Vorstellung eines erst durch den Sündenfall eingeführten Gegensatzes wird durch diesen uranfänglichen Gegensatz vielmehr ausgeschlossen, indem der Sündenfall für den Evangelisten unmöglich diese Bedeutung haben, doch nur das, was an sich ist, zur Erscheinung gebracht haben könnte“ [1]; argumentis ac rationibus non comprobatum est. Io. 1, 5 legitur: „Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν.“ quorsum igitur τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, si tenebrae principium contrarium sunt et nullatenus

---

[1] A. Hilgenfeld, l. c. p. 148.

in lucem conuerti possunt? tum respice ad discrimen temporum: φαίνει et οὐ κατέλαβεν. φαίνει non est praesens historicum [1]. lux in tenebris adhuc, i. e. auctoris aetate — lucet. tenebrae autem eam non comprehenderunt. tametsi igitur tenebrae lucem non comprehenderunt, illa adhuc lucet, quod non aliter atque ita intellegi potest, ut auctor tenebras tandem aliquando lucem esse comprehensuras sperauerit. — Ioannes baptista missus fuit a deo uenitque in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum (Io. 1, 6. 7) —. cui testimonium perhibebit de lumine nisi tenebris, i. e. hominibus? quibus perhibet, ut per illum credant; credendo igitur tenebras hominum in lucem conuerti patet. quare auctor amens fuisset, si Adolfi Hilgenfeld modo tenebras ut principium absolutum luci oppositum percipi uoluisset. sententiarum ordo hic est: tenebrae lucem non comprehenderunt, quamquam Ioannes baptista de lumine testimonium perhibuit; mundus eum — Iesum — non cognouit, quamquam in mundo erat; sui eum non receperunt, quamquam in propria uenit. eadem sententia triplici modo elata: lux, is quem non cognouit mundus, isque quem sui non receperunt; hi tres sibi respondent; tenebrae, mundus, propria sunt item tria, quae sibi respondent. ex quo colligitur, uerba: „tenebrae lucem non comprehenderunt, mundus eum non cognouit, sui eum non receperunt," *idem* significare. cum autem se recipientibus, in nomine suo credentibus (Io. 1, 12), ut filii dei fierent, dederit, plane non dubito, quin loquendi uarietas, quam enuntiata: „tenebrae lucem comprehenderunt et credunt in nomine eius", exhibent, non ad sententiam pertineat. quare apparet, notione τῆς σκοτίας omnes, qui non credunt in nomine Iesu, contineri, quotquot autem credunt a tenebris segregantur; ergo tenebrae (Io. 1, 5) non sunt principium luci absolute contrarium.

Nunc quaerendum est, quid sit σκοτία. „lucem, ut Maldonatus [2] auctoribus Augustino, Beda, Ruperto, Euthymio, Bernardo interpretatur, euangelista uocat Christum eiusque doctrinam, de qua proximis uerbis dixerat: „„in ipso uita erat, et uita erat lux hominum."" tenebras homines, qui in peccatis, i. e. in tenebris erant, sicut D. Paulus ait: „„eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino"" (Eph. 5, 8). docet igitur euangelista,

---

[1] Cfr. Keil, l. c. p. 80. contra de Wette, Kurze Erklärung des Evangeliums und der Briefe Iohannis. 1839. p. 17.

[2] I. Maldonati commentarii in IV euangelistas. denuo edidit Raich. Moguntiae 1874. II. p. 400.

quid Christus fecerit quidque potuerit ac uoluerit, et quid homines facere noluerint. Christus natura sua lux erat, bonitate uero sua omnes prorsus homines uolebat illuminare; homines autem malitia sua oblatam ab eo lucem recipere noluerunt.“ quare tenebrae sunt homines peccatores, qui euangelium Iesu Christi audire noluerunt. illi uero interpretes recentiores[1], qui tenebras interpretantur condicionis humanae statum originalem, nimis subtiliter disputant. prooemium sane speciem euangelistae philosophantis prae se fert. re autem uera euangelista Iesum suosque aequales ante oculos habet, ut nihil sit, cur illi auctores usque ad initium generis humani redeant. arcessita igitur explicatione Frommann discrimen aliquod inter tenebras et tenebras uersu quinto prologi statuit; etenim existimat in altera enuntiatione: „Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει,“ tenebras significare originalem naturalemque statum generis humani, quatenus hoc diuina luce non afficiatur; in altera: „Καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν“ tenebras significare homines, quatenus diuino uerbo moueri nolint. quam explicationem iam Neander[2] leuitatis non esse expertem demonstrauit. nam discrimen inter tenebras et tenebras euidenter non intercedit; inter rationes autem, quibus constitutis ad tenebras nostro loco respicitur, discrimen notandum est. in altera parte τὸ φῶς lucendo in tenebris agit, in altera ἡ σκοτία lucem non comprehendendo agit. quod ab initio generis humani euangelistae sententia non semel sed persaepe et maxime aetate Iesu factum est; quare euangelista in istis prologi uerbis componendis minime de primorum parentum peccato cogitasse putandus est. quid igitur mirum, si eiusdem peccati mentionem non facit? argumentis ergo more Adolfi Hilgenfeld e silentio petitis peccatum primorum parentum a Ioannis doctrinae summa abesse comprobari non potest.

Etiam alio loco, inquit Hilgenfeld, euangelistae, si ipsius sententia hominum peccatum ab illecebris diabolicis initium cepisset, Adae peccatum commemorandum fuisset; qui locus est Io. 8, 44 —, quo diabolus „ἀνθρωποκτόνος ἀπ᾽ ἀρχῆς“ appellatur. propterea autem Hilgenfeld[3] contendit, diabolum homicidam ab

---

[1] Frommann, Der Iohanneische Lehrbegriff. 1839. p. 249 sq. A. Hilgenfeld, l. c. p. 148.

[2] Geschichte der Pflanzung und Leit. der chr. Kirche durch die Apostel. 4. Aufl. p. 876.

[3] A. Hilgenfeld, l. c. p. 149. idem sentiunt Nitzsch, Über den Menschenmörder von Anfang. Ioh. 8, 44 (in Schleiermachers Theol. Zeitschrift. III. p. 52 sq.). De Wette, l. c. p. 121 sq. Lücke, Commentar über das Evangelium des Johannes. 3. Aufl. 1843. II. p. 340 sq.

initio uocari, quod euangelista parricidium per Kain patratum ante oculos proponere uoluerit. quantum tamen distet ista argumentatio a uero apparebit, si illud „ἀπ᾿ ἀρχῆς" recte explicaueris. missa faciamus, quae ueteres interpretes ad illustrandum hunc difficilem locum attulerunt [1], Augustinum potissimum spectemus, qui [2] illud „ἀπ᾿ ἀρχῆς" ad initium hominis refert, quasi Iesus dicat: homicida erat ab initio, i. e. ex quo homo esse coepit, quem posset occidere. „ex illo, inquit Augustinus [3], ille homicida, ex quo potuit fieri homicidium; et ex illo potuit fieri homicidium, ex quo factus est homo. non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo." quomodo ille dicatur homicida, alia est quaestio. ut autem cum Maldonato ad mortem corporis primorum parentum hoc referamus, in quam propter peccatum incurrerunt, haec nos ratio mouet, quod cum Christus dicit: „et desideria patris uestri uultis facere," significet, Iudaeos uelle se ipsum occidere non spiritualiter sed corporaliter, quare et cum dicit: „ille homicida erat ab initio" ipsum non solum spiritualem, uerum corporalem etiam homicidam intellegere credendum est. nullo modo igitur de parricidio Kain illud intellegendum est [4], praesertim cum, etsi credendum est, hunc ad caedem fratris sui a diabolo incitatum descendisse, tamen id scriptura non dicat, et Christus ad aliquod diaboli factum, quod consignatum sacris litteris sit, alludere uideatur. itaque diabolus homicida erat ab initio, quia primos parentes peccato originali occidit. sed iam disserendum est de tempore: „ἦν." quo tempore uerbi diaboli *constans* animus nocendi interficiendique indicatur. ex quo tempore diabolus primum peccatum hominum patrauit per omnia saecula usque ad aetatem Iesu diabolus *erat* homicida: hic est sensus uerborum: „Ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ᾿ ἀρχῆς." hoc „ἀπ᾿ ἀρχῆς" non ad parricidium Kain, sed ad Adae peccatum pertinere confirmatur uerbis quoque sequentibus: „Καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν." perfectum ἕστηκεν recte uertitur: stat [5]. ueritatem, in qua ille non stat, constanter non dicit, ex quo primos parentes mendacio fefellit. ab

---

[1] Cfr. Maldonatum, l. c. II. p. 715 sq.

[2] Hoc loco et lib. 11. de Gen. ad litt. c. 16; lib. 11. de ciuit. c. 13.

[3] Tract. 42.

[4] Eandem sententiam exhibent Adalb. Maier, l. c. II. p. 186. Godet, l. c. p. 403 sq. Meyer, l. c. p. 357 sq. Luthardt, l. c. II. p. 87. Keil, l. c. p. 337.

[5] Winer, Grammatik des Neutestamentlichen Sprachidioms. 1867. p. 257. Berger, Griechische Grammatik. 1874. p. 215. § 272. Nr. 3.

In uersione „Uulgata" legimus: „stetit." item Augustinus contra litteras Petiliani lib. II. c. 13. et de ciuitate dei lib. XI. cap. XIII. (Bassani 1797).

initio sacrae historiae igitur diabolum esse homicidam et mendacem Christus tradit. cum Iesu uero intersit, ut concentum apertissimum inter diabolum atque aduersarios suos intercedere demonstret, malitiae diabolicae non tam initium historicum quam continuationem perpetuitatemque praedicat. unde colligi potest, qui factum sit, ut Iesus peccatum Adae nostro loco non planissime commemoret. Iesum autem illud peccatum obiter tetigisse et Adolfum Hilgenfeld de eadem re perperam iudicasse modo demonstrauimus. sed ne iste quidem interpres, nisi ipso propositi consilio coactus fuisset, illud „ἀπ' ἀρχῆς“ utique ad parricidium Kain reuocare sustinuisset. nam euangelistam Ualentinianorum de Kain et Abel et Seth ut tribus quodammodo fontibus generis humani doctrinam [1] secutum esse comprobaturus erat. fundamento tamen illo euerso enarratio eius peruersa est. quae cum ita sint, ex isto quoque loco non colligi potest, primorum parentum peccatum originale a Ioannis doctrina discrepare. id igitur, quod in nostro euangelio illud peccatum non planissime indicatur, in explicando non ita urgendum est, ut euangelista diuersitatem hominum a principiis sibi oppositis exortam originalemque hoc silentio demonstrare uoluerit.

Loco Io. 3, 6: „Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν,“ Hilgenfeld eo consilio utitur, ut illam hominum diuersitatem comprobet. haec disquirentes primum quidem quid Hilgenfeld sentiat, deinde quid sententiae ille locus re uera habeat uideamus. „si Iesus, inquit ille [2], Io. 3, 6 de necessitate regenerationis ex aqua et spiritu ita se defendit, ut quod natum sit ex carne, carnem, et quod natum sit ex spiritu, spiritum esse dicat, ille unanimis consensus christianae antiquitatis, quae ex deo natum pro deo habuit, in memoriam nostram reducendus est, ut hic quoque idem discrimen naturarum humanarum reperiatur. nam illud τὸ γεγεννημένον hoc loco non partem naturae humanae, sed totam istam naturam significare apparet, atque ea re non natura humana in utramque partem, spiritualem corporalemque, sed genus humanum in duas sibi oppositas classes diuiditur. si ab *hac* parte *totus* homo ex carne natus non σαρκικός esset, argumentatio probationis ui caret; nam

[1] Exc. ex scr. Theod. § 50. 54: ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ τρεῖς φύσεις γεννῶνται, πρώτη μὲν ἡ ἄλογος, ἧς ἦν Καΐν, δευτέρα δὲ ἡ λογικὴ καὶ ἡ δικαία, ἧς ἦν Ἄβελ, τρίτη δὲ ἡ πνευματική, ἧς ἦν Σήθ. καὶ ὁ μὲν χοϊκός ἐστι κατ' εἰκόνα, ὁ δὲ ψυχικὸς καθ' ὁμοίωσιν θεοῦ, ὁ δὲ πνευματικὸς κατ' ἰδίαν. cfr. Irenaeus, contra haer. I. 5, 5. Tertullian. adu. Ualent. c. 29.

[2] A. Hilgenfeld, l. c. p. 150 sq.

natiuitatem ex alto introitus in regnum coelorum tantummodo ea de causa exigit, quia carnale omnino non spirituale, τῷ πνευματικῷ simpliciter oppositum est.“ sed haec hactenus; nunc istas Hilgenfeldii expositiones excutiamus. qui auctor enuntiationes hasce: τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν. affert, ut cum dicto christianae antiquitatis: τὸ γεγεννημένον ἐκ θεοῦ θεός ἐστιν· comparet. sed istarum enuntiationum inter se conferendarum studium uituperetur necesse est, quia loquendi usus scriptorum, si fieri potest, e scriptis ipsorum, non e sermonis consuetudine aliquanto post ciuitate donata explicandus est. euangelista quartus autem iu prooemio scribit: ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτόν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ· οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός, ἀλλ᾽ ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν (Io. 1, 12. 13). unde apparet, auctorem nostrum eos homines, qui Iesum receperint, id est in nomine eius crediderint, τέκνα θεοῦ eademque de causa ἐκ θεοῦ γεγεννημένους appellare. euangelista igitur longe abest, ut *omnes* ex deo natos esse deos opinetur; illos quoque ex deo natos uocat, qui in nomine Iesu credunt. quare natiuitatem ex deo propriam (δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός — Io. 1, 14 —; ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός — Io. 1, 18. —) et illi similem, quae credendo in Iesum efficitur, nouit. sed quorsum haec? euangelista quid de utraque natiuitate ex deo senserit, eo consilio discernimus, ne uerba: καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν· exponentes propriam natiuitatem ex spiritu agnoscere cogamur. nam A. Hilgenfeld enuntiationi: „quod natum est ex spiritu spiritus est,“ illam antiquitatis christianae sententiam: „quod natum est ex deo deus est“ haud disparem esse existimat, unde concludendum esset, euangelistam more Gnosticorum duas classes hominum — carnalium et spiritualium — disiunxisse. sin autem euangelista, sicut supra demonstrauimus, natiuitatem ex deo duplicem — et propriam et moralem — nouit, similitudine illarum enuntiationum concessa tamen Adolfi Hilgenfeld argumentum ui probationis priuauimus.

Reliqua uiri docti argumenta quam leuia sint, ex rerum et uerborum contextu cognoscemus. Nicodemus Pharisaeus uenit ad Iesum nocte et dixit ei: Ῥαββί, οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος· οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ᾽ αὐτοῦ (Io. 3, 2). Nicodemus Iesu signa non ignorat, unde colligit, Iesum a deo uenisse et deum cum eo esse. a signis initium fidei ducit et in limite regni dei uersatur. respondit Iesus: Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται

ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ (Io. 3, 3). in euangelio quarto notio: βασιλεία τοῦ θεοῦ hisce duobus locis: Io. 3, 3. et 4 reperitur et idem ualet, quod regnum coelorum apud Matthaeum. notio regni dei in Uetere Testamento nixa Nicodemi scientiam fugere non potuit [1], ut scire deberet, regnum dei esse theocratiam in Uetere Testamento promissam, quae Messiae exspectato constituenda fuit. quis igitur aequalium Iesu fuit, qui haec omnia nesciret? quorum maior pars sane praua de regno Messiae sentiebant. quas opiniones respiciens Iesus respondit: ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. generatim (ἐὰν μήτις), non nominatim uelut de hominibus, quos A. Hilgenfeld una cum Gnosticis Psychicos uocat [2], Iesus loquitur. quare sensus est hic: *quicumque* renatus fuerit, regnum dei uidere poterit. sed iam quaeritur, quomodo illud „ἄνωθεν" ab interpretibus in controuersiam uocatum explicandum sit. alii [3] ita interpretantur, ut ἄνωθεν idem quod „desuper, ex alto, coelitus, diuinitus" ualeat. quorum interpretatio illius uocabuli ui, quae ei inest locis: Io. 3, 31; 19, 11. 23, comprobata uidetur. alii [4] qua uoce Latina ἄνωθεν reddant, dubitant, utrum uocabulum „denuo" i. e. de integro, an „denuo" i. e. iterum, auctoris sententiam aperiat. nos illorum uestigiis ingredi non possumus, quia Nicodemus, si Christus dixisset: „nisi quis natus fuerit *desuper,* non potest uidere regnum dei," satis intellexisset, eum non de carnali generatione locutum esse. deinde Nicodemus a Christo minime in eo reprehenditur, quod intellegit, hominem iterum uel denuo nasci necesse esse, sed tantummodo in eo corrigitur, quod opinatur, hominem ex matre sua carnali renasci necesse esse. ex quo colligere poteris, quanta debilitate fundamentum sit, in quo coniecturam suam A. Hilgenfeld posuerit. etenim eius magni refert, ut γεννηθῆναι ἄνωθεν idem quod *desuper* natum esse significet. quapropter citatis Clem. Rec. VI,

---

[1] Quid Uetus Testamentum de regno dei docuerit, docent Öhler, Theol. d. A. T. II. 215 sq. Chr. F. Schmid, bibl. Theol. d. N. T. I. p. 324 sq. Weiss, Lehrb. d. bibl. Theol. d. N. T. 3. Aufl. 1880. p. 50 sq. Zschokke, Theologie der Propheten des A. T. 1877. p. 453—469.

[2] A. Hilgenfeld, l. c. p. 152.

[3] Orig. Ammonius, Cyr., Theoph., Elias Cretensis, Erasm., Bengel, Lücke, Baumgarten-Crusius, de Wette, Bäumlein, Meyer, Lange, Baur, Hilgenfeld.

[4] Syr., Uulgata, Augustinus, Seuerus Antiochenus, Gregorius Nazianzenus, Chrysost., Luther, Calv., Maldonat, Thol., Olsh., Neand., Stier, Hgstbg., Godet, Hofm. (Schriftb. II. 2, 11). Weiss (Io. Lehrbegr. p. 94), Luthardt, Burger, Keil. Haneberg-Schegg (Evangel. nach Iohannes. 1878. I. p. 174) inter uocabula „desuper" et „denuo" fluctuat.

9[1], et Iustin. Apol. mai. p. 94. nec non Hom. XI, 26: „Ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε," non istos libros e fonte quarti euangelii *explicando*, sed istud euangelium e fonte illorum *immutando* atque *accommodando* hausisse existimat[2]. originale dictum Iesu apud Matthaeum (18, 3): Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν," ut idem auctor coicit, memoriae proditum est. pergit Hilgenfeld: secundam formam illud dictum adhibuisse, ut necessitatem baptismatis comprobaret, itaque idem immutasse. quartum euangelium denique regenerationem sacramentalem in natiuitatem ex alto, ex deo (cfr. Io. 1, 13. I Io. 2, 29; 3, 9; 4, 7; 5, 1. 4. 18) conuertisse, quod auctore quarti euangelii adnuente non omnis natiuitas desuper effecta, uelut apud Psychicos, *re*generatio sit, quippe qua Pneumatici a principio ex deo nati non indigeant.

Contra hanc sententiam haec afferantur: etiamsi concedatur, ut dictum apud Ioannem (3, 3) ex illo apud Matthaeum (18, 3) profectum sit, tamen non est, cur sine certis argumentis ex rerum memoria petitis ille sententiarum progressus non in Jesu ingenio, sed ab aliis postea florentibus factus sit, praesertim cum occasiones momentaque amborum dictorum tam uaria sint, ut ex ore Iesu emanauisse possint. deinde magnae temeritatis est, ex opinione non comprobata rerum fidem conficere. quaenam est opinio non comprobata? A. Hilgenfeld locum: ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ· idem quod haec uerba: nisi quis *desuper* natus fuerit cet., ualere opinatur. ab hac expositione, ut supra demonstratum est, falsa proficiscitur; iam igitur iudicari potest, quo iure contenderit, illud „*denuo renatus*" (Clem. Rec. VI, 9) et „ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε" (Iustin. Apol. mai. p. 94 et Hom. XI, 26) ex euangelio quarto emanare non *potuisse*, praesertim cum contextus illius loci Ioannei aut *re*generationem (τὸ δεύτερον γεννηθῆναι — u. 4. —), aut nouum uiuendi principium (ἀναγεννᾶσθαι) indicet. sed utrumcumque ad locum illum recte explicandum aptius est, expositio Adolfi Hilgenfeld argumentis iustis utique caret. sin autem sententia quarti euangelistae, id quod contextus comprobat, illud ἄνωθεν non „*desuper*" significat, necesse non fuit, euangelistam *re*genera-

---

[1] „Sic enim nobis cum sacramento uerus propheta testatus est, dicens: Amen dico uobis, nisi quis *denuo renatus* fuerit ex aqua, non introibit in regna coelorum."

[2] A. Hilgenfeld, l. c. p. 151. uid. adnotationem. praeterea cfr. Allg. L.-Z. 1847. Nr. 83. p. 657 sq. — Clem. Rec. et Hom. p. 166.

tionem in natiuitatem desuper effectam propter Pneumaticos, quos Gnostici uocant, conuertere. est igitur illa Hilgenfeldianae coniecturae pars somnii instar.

Iterum contextum loci nostri adimus. Iesus illud „ἄνωθεν“ (Io. 3, 3) explicando pergit: Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν (Io. 3, 5. 6). — „ἄνωθεν“ igitur idem quod „ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος“ ualet, cum exceptis uerbis duobus: ἰδεῖν et εἰσελθεῖν, nullum aliud discrimen inter utrumque uersum (3 et 5) intercesserit, siue uocabula eorumque constructionem, siue sententiarum ordinem spectaueris. quare reducimur ad initium colloquii Iesu cum Nicodemo habiti. miraris fortasse, quod Iesus ab initio nullo, ut uidetur, auctore disputet, quibus condicionibus homines regnum dei uidere possint. sed de hac re disputandi occasio apparet loco Io. 3, 1. 2: Ἦν δὲ ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα αὐτῷ, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων· Οὗτος ἦλθε πρὸς αὐτὸν νυκτός, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ῥαββί, οἴδαμεν, ὅτι ἀπὸ θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος· οὐδεὶς γὰρ ταῦτα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν, ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ θεὸς μετ᾽ αὐτοῦ. Nicodemus Pharisaeorum addictus sectae fuit, quorum legati Ioannem baptistam interrogauerant: σὺ τίς εἶ (Io. 1, 19. 24); quibus iste responderat: ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστός (Io. 1, 20). hoc quoque loco quod responsum est mirum esse uidebitur, nisi totum quartum euangelium condicione temporum illustraueris. nam inter omnes fere interpretes constat, euangelium nostrum magnam quaestionem de Messia conficere [1], quae tum a tota Iudaeorum gente imprimis a Pharisaeis agitabatur [2]. quae factio falsas opiniones de Messia peruulgauerat, ut uerus Christus cognitu difficilis esset [3]. hoc uero Jesu propositum erat, ut se aequalibus Christum ostenderet [4]. quare errorem illum hominibus eiusdem aetatis eripere

[1] Io. 1, 42. 46. 50; 4, 25. 29. 42; 5, 39. 45—47; 6, 15. 28. 30 sq.; 6, 69; 7, 26. 27. 40—43. 52; 7, 31. 40. 43; 8, 30. 31. 33. 59; 9, 35; 10, 24. cfr. Weizsäcker, Untersuchungen über die evangelische Geschichte. 1864. p. 260 sq.

[2] Keim, Geschichte Iesu von Nazara. 1867. I. p. 239—250. 266—268.

[3] Winer, Biblisches Realwörterbuch. 1847. I. p. 573. 578.

[4] Krawutzcky, Über die Bedeutung des Neutestamentlichen Ausdrucks Menschensohn und sein Verhältnis zur Paulinischen Bezeichnung Christi als des zweiten Menschen (Theol. Quartalschrift. Tübingen 1869. p. 608). A. Hilgenfeld, Der Prophet Esra und seine neueste Bearbeitung (Hilgenfelds Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie. 1863. p. 229. 231). praeterea cfr. multas dissertationes de appellatione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, qua Iesus se Mes-

perseueranter studebat. praecipuo uero impedimento Iesu erat, quod Iudaei eorumque principes Pharisaei sperabant, Messiam ut regem uirumque regendae rei publicae peritissimum esse uenturum, qui populum suum libertate donaret. cui opinioni conuenit, quod Iudaei confidebant, Messiam ipsos solos ciuitate esse donaturum. quare stirpe sua superbiebant et eam spem conceperunt, ut unam suam gentem exclusis ceteris in Messiae ciuitatem susceptum iri confiderent. haec tempora describuntur uerbis, quae Io. 3, 1 leguntur. Nicodemus uero cum Pharisaeis idem sentiebat, praesertim cum ἄρχων τῶν Ἰουδαίων esset suarumque partium homines ueritus nocturno tempore ad Iesum ueniret. quibus omnibus iudicatis perpensisque initium colloquii Iesu de regno dei est facile intellectu. huc accedit, ut Nicodemus in allocutione de Iesu quodammodo quaesierit essetne Messias, cum signa Iesu commemorauerit ita comparata, ut Iesum magistrum a deo uenisse colligi posset. nam Iudaei, imprimis Pharisaei iterum ac saepius signa petunt, ut Iesus se Messiam profiteatur [1], eiusque discipuli propter signa in eum credunt [2]; inimici uero pontifices et Pharisaei in concilium uocati propter multa signa Iesu interficiendi consilium ineunt [3]. quid mirum igitur, si sermo Iesu a Christo exspectato eiusque regno oritur. Iesus, cum ab eo Pilatus quaereret, quid fecisset, respondens, regnum suum non esse de hoc mundo [4], collato loco Io. 17, 10 (καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά) regnum *suum* pro regno *dei* (Jo. 3, 3. 5) haberi uult, ut regnum dei quoque de hoc mundo esse non possit. ita illius aetatis opiniones de natura regni Messiae corriguntur. eandem censuram de condicionibus agit, quibus homines in istud regnum sententia Iudaeorum aequalium ingredi possint. grauissimus Iudaeorum error positus erat in nimia de genere ac sanguine suo opinione [5]. ita factum est, ut uulgi opinione nemini nisi Abraham patre natis regni illius ciues fieri liceret. quod impotens postulatum Iesus

---

siam professus est; ueluti: Hilgenfelds Zeitschrift f. w. Theologie. 1860. p. 274—292 (cuius auctor est Baur). — ibidem 1863. p. 327 sq. — 1865. p. 212—237 (auctor est Holtzmann). — Baur, Neutestamentl. Theologie. 1864. p. 75—83. — Schulze, Vom Menschensohn und vom Logos. 1867. p. 38. 39. — Nitzsch, Grundriss der christlichen Dogmengeschichte. 1870. p. 29 sq. — Weiffenbach, Der Wiederkunftsgedanke Iesu. 1873. p. 207 sq. — cfr. A. Hilgenfeld (Zeitschrift f. w. Theol. 1873. p. 453).

[1] Io. 2, 17. 18; 6, 30. cfr. Matth. 12, 38; 16, 1—4. Marc. 8, 11—13. Luc. 12, 54—56.

[2] Io. 2, 11. 23; 12, 45. [3] Io. 11, 47 sq. [4] Io. 18, 35. 36.

[5] Krawutzcky, l. c. p. 623.

cum in libris Synopticorum non concessit [1] tum praecipue nostro loco repudiauit. „quod natum est, inquit, ex carne, caro est.“ constructio huius uersus ad similitudinem antecedentis uersus (u. 5) ita constituenda est, ut legatur: „si quis tantummodo ex carne natus fuerit, non potest introire in regnum dei.“ nam regnum Iesu non est de hoc mundo; si istud de hoc mundo esset, origo, gens, natio, ut paucis comprehendam, *caro* maximi momenti ponderisque esset. cum autem Iesu regnum non ciuitatum *ab hominibus* conditarum more institutoque constitutum sit, necessitudo carnalis et memoria rerum a patribus gestarum obtemperatioque legibus paternis nullo loco numerari poterunt, si quis in regnum dei introire uoluerit. immo uero si quis in regnum dei introire uolet, eum ex spiritu natum esse oportebit. sed iam quaeritur, quis ex spiritu natus sit. euangelium nostrum aliis locis simili dicendi modo utitur. Io. 8, 37 legitur: „Οἶδα (scil. Iesus), ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε·“ — u. 39: „εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε. τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε.“ — u. 40: „Νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι . . . τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησεν.“ ecce magnum discrimen, quod inter eos, qui ex carne Abraham, et eos, qui ex spiritu Abraham nati sunt, intercessit. aduersarii Iesu cum ex carne Abraham nati essent, non ex spiritu eiusdem patriarchae nati erant, quia opera patris sui non faciebant. hoc loco illa uerba: „τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν“ ita illustrantur, ut is ex spiritu natus sit, qui mores patris imitetur. Io. 1, 11—14 haec inueniuntur: „Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε (ὁ λόγος), καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτόν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός, ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν.“ ut opera patris Abraham facientes digni sunt, qui τέκνα τοῦ Ἀβραάμ appellentur, sic credentes in nomen eius (scil. Iesu) eumque recipientes τέκνα θεοῦ uocantur, quia ad eius uoluntatem se conformauerunt. deinde si filii Abraham ex spiritu nati sunt, dei quoque filii ex spiritu eoque sancto nascuntur. quae origo ex deo, scil. spiritu sancto non ex carne pendet. nam „τοὺς ἰδίους“, etsi nomen proprium non adiectum est, cum auctoribus amplis [2] Iudaeorum gentem significare putandum est [3]. suos igitur eum non recipientes

[1] Matth. 5, 3. 10. Luc. 6, 20. — Matth. 13, 1—53. Marc. 4, 1—34. Luc. 8, 4—18; 13, 18—21. cfr. Luc. 3, 8, ubi Ioannes baptista eundem errorem tollit.

[2] Adalb. Maier, l. c. I. p. 166. Luthardt, l. c. I. p. 289.

[3] Cfr. Exod. 19, 5 (ἔσεσθέ μοι λαὸς περιούσιος ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν·). Deut. 7, 6 (καὶ σὲ προείλετο κύριος ὁ θεός σου εἶναι αὐτῷ λαὸν περιούσιον παρὰ

filios patre Abraham natos interpretamur. ad quos respiciunt uerba: οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός· itaque sensus est: non omnes patre Abraham nati τέκνα θεοῦ sunt. sed iam redeamus, unde profecti sumus, ut explicationis nostrae fructus colligamus: Iesus Abraham patris filios naturales a spiritualibus distinguit; idem discrimen euangelista quoque in prologo tenet. qui loco Io. 8, 37. 40 aduersarii dicuntur, Abraham patris filii tantummodo naturales erant atque Iesum interficere quaerebant. et „οἱ ἴδιοι“, quos ex sanguinibus, et ex uoluntate carnis nec non ex uoluntate uiri natos esse euangelista dicit, αὐτὸν οὐ παρέλαβον. discrimen inter utrumque dictum in eo cernitur, quod Iesus quidem de causa speciali agit, euangelista autem generaliter disputat. deinde Iesus dicit (Io. 8, 42) aduersariis: „si deus pater uester esset, diligeretis utique me,“ i. e. si filii dei (τέκνα θεοῦ) essetis, non quaereretis utique me interficere. et euangelista disserit, Iesum Iudaeis, quod se non reciperent, ut filii dei (τέκνα θεοῦ) fierent, non dedisse. modi dicendi igitur uariantur, non sententiae. utrique dicto haec communia: illi patre Abraham carnaliter nati (aduersarii, Iudaei), qui in Iesum non crediderint (eum non dilexerint, non receperint), neque patris Abraham filii spirituales neque dei filii sunt. quare Iesu et euangelista auctoribus omnes homines, qui in Iesum crediderint eumque dilexerint, i. e. eum receperint, patris Abraham deique filii ueri erunt. fides dilectioque autem, quia liberi arbitrii sunt, a patre liberis tradi non possunt. unde apparet, genus ac sanguinem, ut filii dei fiant, hominibus dare non posse.

Quae cum ita sint, uerba Iesu Io. 3, 5. 6 ita interpretemur oportet: non origo, quam quis a patre Abraham trahit, sed cognatio spiritualis, qua quis illi coniungitur et dei filius fit, efficit, ut in regnum dei introire possit. in uerbis igitur: „τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι· καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν“ latet idem sensus, qui patet in uerbis: „Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον“ (Matth. 8, 11. 12); „Ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας· καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς· πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ“ (Luc. 3, 8).

Reliquum est, ut uerba: γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος (Io.

πάντα τὰ ἔθνη ὅσα ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς·). Ps. 134, 4 (ὅτι τὸν Ἰακὼβ ἐξελέξατο ἑαυτῷ ὁ κύριος, Ἰσραὴλ εἰς περιουσιασμὸν ἑαυτῷ).

3, 5) explicemus. locos igitur euangelii nostri ad illa explicanda idoneos circumspiciamus. Pharisaeorum legatis interrogantibus: „Τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ Χριστός, οὐδὲ Ἠλίας, οὐδὲ ὁ προφήτης;" respondet Ioannes baptista: „Ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι" (Io. 1, 25. 26). idem Ioannes testimonium perhibet: Κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν. ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραήλ, διὰ τοῦτο ἦλθον ἐγὼ ἐν τῷ ὕδατι βαπτίζων (Io. 1, 31). ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν· ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον, καὶ μένον ἐπ' αὐτόν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ· Κἀγὼ ἑώρακα καὶ μεμαρτύρηκα, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ (Io. 1, 33. 34). quorum locorum momenta ad argumentationem nostram pertinentia haec sunt: Pharisaei locis: Ezech. 36, 24; 37, 25 nixi populi Israel lustrandi causa baptismum a Christo exspectabant et negabant, Ioannem habere ius et potestatem Iudaeos baptismo lustrandi atque ita uel sibi uel etiam Messiae nouam religionis societatem colligendi, cum ipse neque Messias neque Elias aut propheta esset [1]. baptizare igitur esse Christi uel eius praecursoris putabant; nam aqua res sensibus subiecta est, quae secundum prophetarum uaticinia tum peccati tempore Messiae abluti [2] significandi tum animos redemptorum renouandi uim habet [3]. cum autem testimonio Ueteris Testamenti spiritus diuini sit, peccata remittere uitamque hominum redintegrare [4], intellegi potest, ad opera spiritus sancti describenda prophetas signo aquae usos esse [5]. quod genus dicendi Iesu aequales legis periti et scribae ignorare non poterant, ut Iesus merito admirans requireret: σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ καὶ ταῦτα οὐ γιγνώσκεις;" (Io. 3, 10). — Ioannes baptista et Pharisaei ad eum missi illam propheticam elocutionem haud ignorabant. quapropter Ioannes se esse Messiam negare poterat dicens: ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι (Io. 1, 26). baptismus baptistae non erat ille, quem prophetae Christo exspectato tribu*erant,* qui spiritu sancto efficiente et aqua significante peccata hominum remitteret; quare idem Ioannes,

---

[1] Kuinoel, Commentarius. Uolum. III. euangel. Ioannis. 1812. p. 127. Lücke, Commentar über das Evangelium des Iohannes. 3. Aufl. 1840. I. p. 388. Adalb. Maier. Commentar. 1843. I. p. 199.

[2] Zachar. 13, 1.

[3] Ies. 45, 8; 44, 3; 41, 17 sq. cfr. Zschokke, Theologie der Propheten des Alten Testamentes. 1877. p. 466. 547 sq.

[4] Zach. 12, 10. Zschokke, l. c. p. 132.

[5] Spiritus *effunditur* (Ioël 3, 1. 2. Ies. 44, 3; 32, 15. Zach. 12, 10. Ezech. 39, 29), cum *fonte patente* (Zach. 13, 1) et *imbre* (Ies. 44, 3. 4) comparatur. cfr. Bade, Christologie des A. T. 1858. II. 1. p. 238 sq. Zschokke, l. c. p. 133.

utriusque baptismo comparato dicit: οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ (Io. 1, 33). sed peccata remittendo et spiritum sanctum effundendo Messiam regnum suum constituturum esse prophetae ueteres censuerant. quare Messiae regno cum theocratia populi Israel comparato consentaneum erat, condiciones quoque, quibus quis in utrumque regnum introire posset, inter se comparare. quisnam nescit, hoc sacra lege Israëliticae theocratiae institutum fuisse, ne quis, *nisi a patre Abraham oriundus,* ciuium numero haberetur. atque alienigenas inde ab aetate Dauidis et Salomonis adnuente lege Mosaica (Exod. 12, 48) circumcisione, baptismo sacrificioque in numerum ciuium ascitos [1] Iudaeis Israëlitica stirpe genitis tamen non pares fuisse satis constat [2]. ciuitatis theocraticae proprietatem igitur semine Abraham orti obtinebant. ueteris theocratiae ciues quidem ex carne Abraham nascebantur; nouae uero per Messiam constitutae ciues ex aqua et spiritu (uulg., sancto) renasci oportere Iesus docet [3]. haec consideranti uerba Iesu: „Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ“ (Io. 3, 5) doctrinam Gnosticam minime sapere uidentur, cum saluator noster in Ueteris Testamenti sententiis natus isto loco ad uaticinia prophetarum respiciat, qui ab errore Gnostico alieni fuerunt. illud dictum plane hunc sensum habet: nisi quis peccatis remissis afflatu spiritus sancti significante baptismi aqua uitam suam deo initiauerit, non potest intrare in regnum dei, i. e. Messiae. quod Iesus isto loco generatim disputat, apud Matthaeum c. 5. 6. 7 speciatim exponit; ubi singula breuiter sic complectitur: „Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν“ (Matth. 5, 20).

Euangelistam denique cum Gnosticis de Pneumaticis non idem sensisse planum faciunt haec uerba: „Ὁ Ἰησοῦς . . λέγων· ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω· ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. Τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν· οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη“ (Io. 7, 37. 38. 39). ante mortem, qua Christus clarificatus est [4], in Iesum credentes spiritum sanctum accipere non poterant, quia Iesus

---

[1] Winer, Biblisches Realwörterbuch. 1847. I. p. 156 sq. 200. 380. II. p. 285 sq. B. Schäfer, Die religiösen Altertümer der Bibel. 1878. p. 131.

[2] Winer, l. c. II. p. 287.

[3] Io. 3, 5.

[4] Cfr. Io. 12, 23; 13, 31. 32; 17, 5. Köstlin, Lehrbegr. p. 167 sq. Adalb. Maier, l. c. II. p. 145.

dicit: „Ἐγὼ τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν· συμφέρει ὑμῖν, ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω. ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς. ἐὰν πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς" (Io. 16, 7). atqui Adolfus Hilgenfeld negare non poterit, quin discipuli Iesu excepto Iuda proditore Pneumatici, i. e. ἐκ τοῦ πνεύματος γεννηθέντες fuerint; ergo non ab infantibus apostoli euangelistae quarti sententia Pneumatici fuerunt. quare Gnosticorum euangeliique quarti Pneumatici ipsa natura diuersi sunt.

Ad hanc sententiam cum aliae tum haec ratio nos deduxit, quod euangelium quartum *omnes* homines luce τοῦ λόγου illuminari [1], et deum Iesumque omnes saluaturos esse tradit [2]. nam euangelista secum dissentiret, si putaret, deum, ad quos (τοὺς ὑλικούς) salus christiana non pertineret, seruare uoluisse. quare euangelistae sententia non sunt, qui οἱ ὑλικοί uocari possint; itaque οἱ πνευματικοί in quarto euangelio inueniri non possunt, quippe cum οἱ πνευματικοὶ τοῖς ὑλικοῖς ut excelsa adiaceant abruptis.

Ultimum argumentum A. Hilgenfeld [3] ita composuit: „Es kann die Annahme einer ursprünglichen Verschiedenheit der menschlichen Naturen nur geradezu bestätigen, wenn Io. 11, 52 von Kindern Gottes unter den Heiden und ohne Vermittelung des christlichen Glaubens die Rede ist . . Wie könnte hier von zerstreuten Kindern Gottes in der Welt die Rede sein, wenn diese nicht schon an sich, nach der unmittelbaren Substanz ihres Wesens, auch ohne die durch das Christentum erfolgende Entwickelung und Entfaltung dieser Substanz als Kinder Gottes gedacht wären?" sed explicemus primum relationem euangelistae hanc: „Ἐὰν ἀφῶμεν, inquiunt sacerdotes summi et Pharisaei, αὐτὸν οὕτω, πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτόν· καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. Εἷς δέ τις ἐξ αὐτῶν, Καϊάφας, ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, εἶπεν αὐτοῖς· ὑμεῖς οὐκ οἴδατε οὐδέν, οὐδὲ διαλογίζεσθε, ὅτι συμφέρει ἡμῖν, ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ

---

[1] Io. 1, 9.

[2] Io. 3, 16: „οὕτω γὰρ ἠγάπησεν ὁ θεὸς τὸν κόσμον, κ. τ. λ."; ib. 12, 32: „κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν." cfr. I Io. 2, 2: „καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου." cfr. Lücke, Commentar. 1840. 3. Aufl. I. p. 546. — Adalb. Maier, l. c. I. p. 303. — Luthardt, l. c. I. p. 383. — Beyschlag, l. c. p. 147. — Keil, Commentar. 1881. p. 173. — A. Hilgenfeld sibi ipse aduersatur haec scribendo (Einleitung p. 726): „Die Heilsabsicht Gottes und Christi ist wohl *allgemein*, aber wird in ihrer Verwirklichung gehemmt durch die überirdische Macht des Bösen" (Io. 12, 40). tales igitur Deus et Christus cogitantur, qui, quod nullo pacto fieri potest, efficere uelint!

[3] Das Evang. und die Briefe Iohannis. 1849. p. 153.

τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. Τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν· ἀλλὰ ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου προεφήτευσεν, ὅτι ἔμελλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους. Καὶ οὐχ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα συναγάγῃ εἰς ἕν (Io. 11, 48—53)." aduersarii metuunt, ne tota Iudaeorum gens in Iesum credat, et Romani et locum et gentem e medio tollant. sententia igitur Pharisaeorum et sacerdotum summorum rei publicae maxime interest, multitudinem Iesu sectam non modo non sequi, sed etiam Iesu occiso in perpetuum prohiberi, quominus ad illius societatem se applicet. a credendo in Iesum ut multitudinem arceant, aduersarii eundem interfecturi sunt. quapropter Caiphas dicit, expedire ipsis, unum mori hominem pro populo nec totam gentem perire. quodsi Iesus euangelista auctore moriturus erat pro gente, tamen consilium eius erat aliud atque sacerdotis summi; quare non ut a credendo gentem Iudaeorum arceret, sed ut ad credendum commoueret Iesu mortem subituri consilium fuit [1]. — euangelistae igitur uerba: „ἔμελλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους," hunc sensum praebent: Iesus moriturus erat, ut gentem ad credendum in ipsum commouendo defenderet ab interitu, cum quicumque crederet in Iesum non periret, sed haberet uitam aeternam. auctor pergit: „Καὶ οὐχ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα συναγάγῃ εἰς ἕν." non modo *pro* gente, i. e. ut gentem ad credendum in Iesum commouendo ab interitu defenderet, sed etiam ut filios dei dispersos congregaret in unum mortem subiturus erat. Iesu consilium fuit, ut omnes Iudaei (i. e. gens) in ipsum credendo filii dei facti Messiae theocratiam uaticiniis propheticis descriptam constituerent; cum uero maior gentis pars a principibus senioribusque abducta [2] Iesum uerum Messiam reiecisset, singuli tantum e gente Iudaica credendo in uerum Messiam filii dei facti sunt, quos dispersos Iesus moriturus in ditionem suam Messianam redigere molitus est. quare τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα illi homines intellegendi sunt, qui in Iesum credentes nondum societatem regni inierant; quos demum mors Iesu consociatura erat. tantum igitur abest, ut non nisi qui ex gentilium numero Christi nomen profitebantur intellegendi sint, ut omnes Christi fideles siue Iudaei siue Graeci, priusquam in regno Messiae consociarentur, τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα uocati sint.

---

[1] Cfr. Io. 3, 14. 15: „Καὶ καθὼς Μωϋσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· Ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον." Io. 12, 32. 33: „Κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. Τοῦτο δὲ ἔλεγε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν."

[2] Io. 6, 15; 7, 3. 4. 5. 12.

Sed de contextu hactenus. permulti quidem et graues interpretes[1] cum Adolfo Hilgenfeld sentientes putant, τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα Christi fideles ex gentilium numero esse; sed, si id uerum esset, euangelistae scribendum fuisset: καὶ οὐχ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ τῶν διεσκορπισμένων. deinde locus, quo auctor uocabula „οὐχ“ et „ἀλλ᾽ .. καί“ posuit, indicat, non tam notiones: „τοῦ ἔθνους“ et „τὰ τέκνα τ. θ. τ. δ.“, quam uocabula „ὑπέρ“ et „ἵνα“ sibi opposita esse. non modo ὑπὲρ τ. ἔθν., i. e. ne tota gens pereat (Io. 11, 50), sed etiam ἵνα τὰ τέκνα τ. θ. τ. διεσκ. συναγάγῃ εἰς ἕν, i. e. ut filios dei dispersos congreget in unum, Iesus moriturus est. euangelista expertus indicat, Iesu mortem effecisse, ut gens non modo non periret, sed etiam, cum filii dei dispersi congregati essent, tamquam uerum Messiae regnum reuiuisceret. deinde Matth. 5, 17 dicit Christus: „Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι.“ quod hoc loco Matthaei Iesus ipse de lege Mosaica et prophetis dicit, euangelista quartus de theocratia Israëlitica in lege Mosaica prophetisque posita disserit. Iesus legem aut prophetas non uenit ut solueret, sed ut adimpleret. quod Erich Haupt[2] ita recte interpretatus est: „Iesus löste die Formen, welche dem mosaischen Gesetze als einem für bestimmte lokale und nationale Verhältnisse gegebenen anhafteten und stellte die jedem Gebote zu Grunde liegende Idee auf den Leuchter. Dies lehrend und danach handelnd hat er das Gesetz erfüllt.“ uidebatur quidem Iesus legem et theocratiam ueterem destruere; re uera autem utramque denuo exstruxit. Caiphas et Iesus euangelista quarto teste in eo conueniunt, ut Christus ad conseruandam theocratiam mori debeat. sententia illius, ne pereat theocratia, istius, ut theocratia uera exigatur. qua face loco Ioanneo nostro allata facile cognitu est, quos homines τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα euangelista uocauerit. unanimi consensu interpretum denique euangelista quartus post urbem Ierusalem euersam scripsit. eo igitur tempore, quo Iudaei quoque dispersi fuerant, ut et Iudaei in Iesum credentes τέκνα διεσκορπισμένα appellari possent. eodem tempore, quo quod Iesus Io. 12, 32 uaticinatus est, uero euentu comprobabatur; quo in regnum Messiae, in ecclesiam Christi omnes filii dei dispersi colligebantur.

---

[1] Maldonatus, l. c. II. p. 806. Ad. Maier, l. c. II. p. 225. 257. Luthardt, l. c. II. p. 224 sq. Keil, l. c. p. 368. 405.

[2] Erich Haupt, Die Alttestamentlichen Citate in den vier Evangelien. 1871. p. 9. 28.

Quamobrem siue contextum, siue constructionem, siue similitudinem, siue tempus, quo auctor scribebat, spectaueris, negare non poteris, illos filios dei dispersos (Io. 11, 52) Adolfum Hilgenfeld non recte interpretatum esse. nostro quoque loco filii dei non nisi mediante fide christiana nati sunt, qui dispersi uocantur, quia antiqua theocratia subuersa in theocratiam nouam, in ecclesiam Christi colligendi erant. —

Multa praeterea argumenta Hilgenfeldius adfert ad sententiam suam tuendam, sed et ratio scriptionis nostrae suadet, ut breues simus, et eis quae supra exposuimus satis nobis demonstrasse uidemur, nulla doctrinae Gnosticae uestigia in quarto euangelio inesse [1]. quod maxime cum Hilgenfeldio mihi res erat, cuius rationes non potui non impugnare, persuasum habeat uelim uir doctus, me non hominis praestantiae, quem permagni facio, officere uoluisse, sed sententiarum esse aduersarium.

[1] Albrecht Thoma, Die Genesis des Iohannes-Evangeliums. 1882. p. VI. VII.